A M W

607

Ch
1510 y

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0001-9

DE E
ARTICV
FICATIONI
ã Philippo Melan
ad Colosse
15

SEM.
eſt Chri
mam Eua
prædicare
ſionem p
igitur diuelli debent I
Primum igitu quia Eu
Neceſſaria eſt contritio,
res conſcientiæ & dolores
roribus debet erigi conſcie
propriam Euangelio, quæ
Chriſti. Debet igitur acce
Fides, quæ credere debet pr
donari nobis iuſtificatione
peccatorum, & reconciliat
ſtum mediatorem. Hæc fi
conſequimur remiſſionem p
mur iuſti, id eſt, accepti

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0002-5

EROTEMATA

# IN M. T. CICERONIS LIBROS III. DE OFFICIIS, ITEMQVE de Senectute, & de Amicitia Dialogos:

BREVI ET PERSPICVA METHODO comprehenſa, ſic vt magnorum loco Commentariorum queant eſſe.

OMNIBVS INGENVIS ADOleſcentibus, veræq; honeſtatis amantibus cognitu digniſſima.

His acceſſerunt tituli locorum communium antea ſeparatim excuſi, eodem

Autore

M. IOANNE BENZIO Bruxellenſi.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſareo.

ARGENTORATI,
Excudebat Antonius Bertramus.
M. DCI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0003-0



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE

1940 G 932 f

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0004-6

# ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, DOMINO IVLIO ERNESTO, ET DOMINO FRANCISCO, F F. Ducibus Brunſuicenſibus & Lunæburgenſibus, Dominis ſuis clementiſſimis, S. P. D.

*CVm multa ſint in Philoſophia & grauia, & vtilia, accuratè copioſèq; à philoſophis diſputata: latiſsimè patére videntur ea, quæ de* OFFICIIS *tradita ab illis præcepta ſunt. Quibus enim commodioribus verbis, Illuſtriſsimi principes, Domini clementiſsimi* VOBIS, *vel potiùs ſub Illuſtriſsimo nomine veſtro, reliquis adoleſcentibus ſtudioſis doctrinam de Officijs ego commendem, quàm quibus eam ab autore celeberrimo commendatam accepimus?*

*Etenim ſi de præſtantia eius & vtilita-*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0005-1

te autoritatem requiremus: nulla nobis grauior eſſe poteſt, quàm illius autoritas viri, qui omni doctrinarum genere à pueritia inſtitutus; & in Republ. diu verſatus; & experientia multarum rerum edoctus; & multis fortunæ tempeſtatibus iactatus, in extremo propè ætatis gradu, de officijs vitæ laudabiliter degēdæ ſcripſit ad filium: & filium iam adultum, & in literis humanioribus, & in re militari probè exercitatum, ſicuti moris erat Romanis; & eum denique filium, quem chariſſimum habebat, quemq́ꝫ quàm optimum doctiſſimumq́ꝫ fieri cupiebat.

Sin verò rationes poſtulabimus: verum omninò deprehendemus id, quod ibidem ſequitur: Nullam vitæ partem neque publicis, neque priuatis, neqꝫ forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi nobiſcum agamus quid, neqꝫ ſi cum altero contrahamus, vacare officio poſſe: in eoq́ꝫ colendo ſitam vitæ honeſtatem eſſe omnem, & in negli-

gendo turpitudinem. Quis eſt enim, qui non imbutus eiuſmodi præceptis, qualia in hoc Ciceronis continentur opere, exiſtimare ſe audeat, aut bene moratum adoleſcentem, aut ciuem egregium, aut Reipub. ſalulutarem gubernatorem, aut ducem belli vtilem? Quis hominum ſibi beneuolentiam polliceri, fidem inuenire, gloriam ſperare, beneficia expectare queat neceſſaria? Quis in delectu bonorum vel vitam tranſigere priuatam, vel amicitiam colere, vel ciuitatem gubernare, vel res rationesq́ cum hominibus contrahere, vel omnino in ciuilē ſocietate verſari feliciter poßit, ſine diligenti horum officiorum cuſtodia? In his honeſtatis fundamēta, fontes vtilitatis, principia felicitatis conſiſtunt. Siquidem & honeſtè viuere; & Neminem lædere, & Suum cuiq́ tribuere; & quicquid tot tantisq́ iuris conſultorum continetur voluminibus, totum id ex his officiorum libris trahit originem. Quos idcirco grauißimi do-

ctiſsimiq́ʒ viri cum ethicis decem libris Ariſtotelis comparare non dubitant: dignosquè iudicant, qui omnibus in ſcholis prælegantur: nec prælegantur ſolùm, ſed etiam ediſcantur memoriter.

Cæterùm quòd de veri Iuris ignorantia Ciceronem arguit Lactantius; & quòd exiſtimant aliqui, rectiùs de Officijs iuuentutē ſacris è literis, quàm huiusmodi profanis informari ſcriptoribus: non negamus quidem, ſacroſanctam ſacrarū literarū fidem, & autoritatem maiorem eſſe debere, quàm humanæ ſapientiæ: addimus & illud, non omnia Chriſtianis conuenientia his in libris tradita eſſe officia. Verūtamen ijdem affirmare non veremur; in ijs, quæ tradita ſunt, pleriſqʒ eam reperiri æquitatē, humanitatem, ſanctimoniā; vt honeſtam oſtendere diſciplinā quoqʒ Chriſtianis queāt; & vt D. Auguſtinus ait, acriores ipſis ad pietatē & virtutē colendam ſtimulos addere. Quid enim dici religioſius potuiſſet, (deorū excepta

excepta multitudine,) quàm, Officia prima dijs immortalibus deberi; patriæ & parentibus proxima? &, Deos placatos pietate ſanctitateq́; effici? Quid humanius autem, quàm, Homines hominũ cauſa eſſe generatos, vt ipſi inter ſe alij alijs ꝓdeſſe poſſint: &, In officijs tribuẽdis videndum eſſe, quid cuiq; maximè neceſſe ſit? Deniq; quid æquius, quàm, Nihil vtile iudicãdum, quod ſit iniuſtum? &, Virũ bonum nõ facturum quicquã vtilitatis ſuæ cauſa, quod iniquum ſit, tametſi exploratum habeat, id omnino neminem vnquã ſuſpicaturũ? Et quid attinet referre cætera, quæ de comparãda prudentia, iuſticia colenda, benignitate exercenda, animi declaranda magnitudine, dictorũ, factorũ, geſtuum tenẽda moderatione; præterea de cõciliandis hominũ animis, de vtilitate ſecũdum honeſtatem æſtimanda &c. præcipiũtur in ſpecie? Quæ ſi noſtris hiſce ſeruarẽtur ſæculis; minus turbarũ in imperijs, miſeriarum minus in cõmuni vita relinquerent.

Hos igitur Ciceronis libros, præſtantiſſimorum virorum ſuffragijs tam neceſſarios, præceptionum æquitate tam vtiles, Illuſtrißimi principes, ac Domini clementißimi, dum vos explanantem me anno ſuperiori audire dignaremini; certa in capita, breuesq́ꝫ quæſtiones redegi, quæ autorem ipſum legentibus lumen afferrent: & ſine commentariorum maiorum opera præceptionum ordinem atqꝫ ſcopum oſtenderent. Iiſdem, methodo eadem pertractatos duos eiuſdem autoris ſubieci dialogos, de Senectute alterum, alterū de Amicitia: qui eodem propè argumento ad rectè inſtituendam, & feliciter vitam inter homines viuendam informant. Quam qualemcunque opellam ſub Illuſtrißimo nomine ac patrocinio veſtro volui emittere: non quòd dignum Celſitud. veſtris munus exiſtimarem, quibus longè maiora quæque deberi intelligo: neque quòd neceſſariam vobis harum rerum recognitionem arbitrarer:

trarer: quas tanta ſedulitate audiuiſtis, tanta cupiditate excepiſtis, tanto ſtudio repetÿſtis; vt in examine ſolenni ſpecimen egregium veſtri profectus cum omnium noſtrûm admiratione dederitis: ſed tantùm vt obſeruantiæ debitæ, gratiq́ animi pro ſingulari clementia ſummaquè benignitate veſtra in me meosq́ declarata, ſignificationem aliquam ederem: & vt huius Illuſtriſ. exempli veſtri memoria, cæteros adoleſcentes ſtudioſos ad ſimilem horum librorum amorem atq́ ſtudium incitarem.

Equidem non dubito: quin Illuſtribus Dominis comitibus à Schlik, & Oſtrorog, itemquè Generoſis Dominis Gorgeris patruelibus, Domino Zinzendorffio, ac tribus fratribus Dominis à Landauv L. L. Baronibus, cæterisquè tot nobiliſſimis & honeſtiſſimis adoleſcentibus, veſtris in hoc genere ſtudiorum, & in claſſe noſtra tum commilitonibus, perpetuò iucunda ſit ſu-

tura veſtri conſpectus, & illius temporis ecordatio: id quod præter cætera illius diei declarauit ſilentium, & attentio, quæ doctiſsimis reſponſionibus veſtris data fuit ab omnibus, cùm de præcipuis Officiorum Cic. capitibus, præſente Magnifico Domino Rectore, Spectabili Domino Decano, & Reuerendis Dominis Viſitatoribus, à me interrogaremini.

Quam quidem ad rem plurimum vobis contulit doctiſsimus & experientiſs. vir, Dominus Bernhardus Rulouius præceptor veſter fideliſsimus: qui illius Iſocratici memor, quòd qui inſtituat principes, geminā & ab ipſis, & à ſubditis demereatur gratiā: omnes in eo curas ac labores ponit, vt & doctrinæ, & ſtudiorum principibus viris conuenientium omni genere, vos quàm optimè inſtructos, Illuſtriſs. parentum ac maiorum ſplendori atque amplitudini pares, aut ſi quid ad illorum decus poteſt accedere, ſuperiores efficiat. Quam ipſius ſpem ac per-

fidelem

*ſidelem operam quẽadmodum hucuſq; fortuna non ſefellit: ſic vt ad optatũ portum proſperis eam flatibus prouehat, votis ardentibus opto: Deumq́; fortunæ ſecundæ bonorumq́; omnium largitorem benigniſſimum oro; vt ad excellentes illas dotes quas conceſſit, ſtaturam heroicam, indolem egregiam, doctrinam ſingularẽ, virtutem ſummã, vobis etiam vitæ diuturnitatem, & conſiliorum actionumq; omnium eam velit felicitatem adiungere, in qua non modò ſubditi aliquando veſtri, ſed etiam omnes pÿ confeſſores Chriſti opem, præſidium, ſalutem inueniant. Valete Principẽs Illuſtriſſimi, ac Domini clementiſſimi. Argentorati, IIII. Kalend. Iunÿ, Anno Chriſtiano M.D.LXXXIX.*

V.V. CELSIT.

Subditiſs.

Ioannes Bentzius, M.

EPIGRAMMA

# IN LIBELLVM QVAESTIONVM SCRIptarum in Officia Ciceronis, &c.

*Qvi quondam Argolicæ locutionis*
*Congeßit Clariјs agris aceruos:*
*Idem pollicitus fuit Latini*
*Theſauros idiomatis paratos.*
*At nunc ille minutulos libellos,*
*Sub claras dare machinatur auras?*
*Et quæ ſcripta fuêre copiosè,*
*A parte eloquiј, modò coarctat?*
*Quid dicam? immemoremne ſtipulatus,*
*Duro ſuccubuiſſe vel labori?*
*Non ſic! nam didicit pati: & iuuandæ*
*Aetatis teneræ fauore flagrat.*
*Quid cauſæ eſt igitur? fatêre Muſa?*
*Rebus ſcilicet à quotidianis,*
*Ac magno cumulo negociorum*
*Tardatum nimium fuiſſe credo:*

Vt tantò minus expolire poſſet
Solus, quàm velit, arduum laborem.
Artes dum Logicas docet iuuentam,
Iungens Auſonicæ phraſin Pelasgam:
Et dum moribus inſtruit probatis,
Hanc cui viſere contigit Corinthum.
Omitto populoſa nunc Theatra;
Quæ ſublimia fabulis adornat.
Hinc tempus pede lubrico recedit,
Noſtras nec remoratur actiones.
Confido tamen, hactenus ſubinde
Fraudato genio, fuiſſe factum:
Vt ſi fata ſinant, breui abſolutum,
Promiſſum liceat videre munus.
Hic nobis auidam ſitim leuabit
Limpha riuulus interim ſalubri.
Huc ergo iuuenes, nouem ſororum
Et gratiſsima Cynthiј caterua,
Morum percupida elegantiorum:
Sermonis ſtudioſa purioris:
Nobis ante oculos imago vera
Virtutum poſita eſt; eam ſequamur.

Quid

*Quid Prudentia, Fortitudo quid ſit*
*Monſtratur, cupidi modò legamus:*
*Sanctæ Iuſticiæ, Modeſtiæque*
*Sparguntur ſegetes amœniores.*
*Vitam quæ perhibent beatiorem,*
*Ex maiore docemur hîc Catone;*
*Ac vitæ ſocius quis eligendus,*
*Tractat Lælius autor eleganter.*
*At quàm quæſo libellus hic deſertè*
*Linguæ melliſluum iuuat leporem?*
*Dum tradit tibi formulas locorum*
*Communes, ſimulachra promptiora?*
*Dum non verba monetæ adulterinæ,*
*Sed queis Tullius, optimus Magiſter*
*Dicendi fuit vſus, arte profert?*
*Ne dicam capitum locationes.*
*Vires ingenij ſubauget altas:*
*Phœbi Caſtalidumq́; ſacra pandit.*
*Ergo Mercurio ſibi hunc Libellum*
*Mercetur ſtudioſa turba dextro:*
*Donec Siſyphio labore victo,*
*Theſaurus veniat dein Latinus.*

M. Michael Hoſpeinius
Argentoratenſis.

## Plato de Repub. lib. 3.

Ἐκείνους ζητητέον δημιουργοὺς, τοὺς εὐφυῶς δυναμένους ἰχνεύειν τὴν τοῦ καλοῦ τε καὶ εὐσχήμονος φύσιν. ἵν᾽ ὥσπερ ἐν ὑγιεινῷ τόπῳ οἰκοῦντες οἱ νέοι, ὠφελῶνται ἀπὸ παντὸς, ὁπόθεν ἂν αὐτοῖς ἀπὸ τῶν καλῶν ἔργων ἢ πρὸς ὄψιν, ἢ πρὸς ἀκοήν τι προσβάλη, ὥσπερ αὔρα φέρουσα ἀπὸ χρηστῶν τόπων ὑγίειαν, καὶ εὐθὺς ἐκ παίδων λανθάνη εἰς ὁμοιότητά τε, καὶ φιλίαν, καὶ ξυμφωνίαν τῷ καλῷ λόγῳ ἄγουσα. πολὺ γὰρ ἂν κάλλιστα οὕτω τραφεῖεν.

## Idem in Apologia Socr.

Τυγχάνει μέγιστον ἀγαθὸν ἀνθρώπῳ τοῦτο, ἑκάστης ἡμέρας περὶ ἀρετῆς τοὺς λόγους ποιεῖσθαι.

## Xenophon de memorab. Socratis lib. 1.

Αὐτὸς δὲ Σωκράτης περὶ τῶν ἀνθρωπείων ἀεὶ διελέγετο, σκοπῶν, τί εὐσε-

βές.

βὲς, τί ἀσεβὲς, τί καλὸν, τί αἰσχρὸν· τί δί-
καιον, τί ἄδικον, τί σωφροσύνη, τί μανία·
τί ἀνδρεία, τί δειλία· τί πόλις, τί πολιτι-
κός· τί ἀρχὴ ἀνθρώπων, τί ἀρχικὸς ἀνθρώ-
πων· καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ἃ τοὺς μὲν εἰδότας
ἡγεῖτο καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἶναι, τοὺς δ' ἀ-
γνοοῦντας ἀνδραποδώδεις ἂν δικαίως κε-
κλῆσθαι.

## Catulus in Hortenſio Ciceronis.

*Malo vel vnum paruum de Officio libellum: quàm longam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio.*

# IN M. T. CICERONIS LIBRVM I. DE OFFICIIS.

## EROTEMATA.

## DE ARGVMENTO, & de diſtributione operis.

### CAPVT I.

*Quid agit Cicero in hoc opere?*

AGIT, vt inſcriptio teſtatur, de Officijs: hoc eſt, ijs quę cuiq; facienda ſunt, ad vitam honeſtè tranquilleq́; traducendam: in quo ſummum hominis bonum plerique Philoſophi poſitum eſſe cenſuerunt.

*Qua verò de cauſa hunc laborem ſuſcepit?*

Primùm quidem filij ſui gratia; quem

honeſtè educatum, & tum temporis Athenis ſub diſciplina Cratippi verſantem, ab omni literarum ac virtutis genere inſtructum, ſibique patri ſimilem fieri cupiebat. Deinde verò in aliorum quoque omnium vſum, qui honeſtam ingredi viuendi viam cogitant: & adoleſcentum maximè, quorum aures vndique bonis circumſonare præceptionibus, & mentes ad rectè iudicandum inſtitui, & linguas ad dicendum eleganter imbui, & mores ad laudabiliter viuendum informari, vtile cum primis ac neceſſarium eſſe iudicabat.

*Quorum verò Philoſophorum dogmata in ijs author eſt ſecutus?*

Philoſophorum, qui de Officijs præceperunt, tres præcipuæ ſectæ ſunt: Prima quidem Epicureorum: qui felicitatem omnem ad voluptatem retulerunt. Atque hi, cùm ſua ſolùm ſpectarent commoda, partes honeſtatis omnes, omneque officiorum genus peruerterunt. Altera Stoicorum, qui in ſola honeſtate vel virtute ſummum hominis bonum poſuerũt. Tertia, Peripateticorum, qui præcipuas quidem honeſtati partes tribuerunt, ſed ad abſol-

abſoluendam felicitatẽ, corporis quoque & fortunæ bona adiunxerunt. Atque horum quidem ſententiam quamuis non omninò improbaret Cicero, tamen in hoc Opere Stoicos ſequitur: & inter eos præcipuè Panætium, cuius & doctrinam de officio nõ omnibus abſolutam partibus ipſe abſoluit.

*Quot ſunt ergò partes huius doctrinæ.*

Partes eius idem Panætius tres conſtituerat: Primam de Honeſtate: de Vtilitate alteram: & tertiam de Honeſtorum & vtilium comparatione. Eaſdem & Cicero reſeruat, & in hos libros tres diſtribuit. Inſuper autem Honeſtati duorum honeſtorum, & Vtilitati duorum vtilium comparationem ſubijcit: ſic vt in vniuerſum fiant quinque partes: 1. Honeſtas ſimplex: 2. Honeſtas comparata: 3. Vtilitas ſimplex: 4. Vtilitas comparata. 5. Honeſtatis cum vtilitate comparatio.

*De quanam parte agitur in primo libro?*

In primo libro poſt definitiones, & cauſas officiorum, agitur de HONESTATE, primùm ſimplici & abſoluta, eiuſque par-

tibus & officijs multiplicibus. Deinde de honeſtorum mutua comparatione.

## DE DEFINITIONE, DE cauſis & partibus officiorum.

### CAPVT II.

*Quotuplex eſt omnis quæſtio de Officijs?*

DVplex: vna theorica: altera practica.

*Quæ dicitur Theorica?*

Quæ in contemplando tantùm occupatur; & conſiderat officium, quatenus id ad finem bonorum, atque ad cognitionem pertinet. Vt, cum quæritur, Omniàne officia perfecta ſint: Numquod officium aliud alio maius &c.

*Quæ Practica?*

Quæ verſatur in agendo, & officium tractat poſitum in præceptis, ad vſum vitæ humanæ accōmodatis. Vt, cùm quæritur, Omniàne promiſſa ſint ſeruanda: Num vicinus, an potiùs propinquus in iudicio defendendus &c.

*Quot*

*Quot ſunt igitur officiorum genera?*

Duo: vnum Perfectum: alterum Medium.

*Quodnam eſt Perfectum officium?*

Perfectum officium, eſt factum, dictum aut cogitatum, cuius perfecta ratio reddi poteſt.

*Quod Medium?*

Medium, ſeu Commune officium, eſt factum, dictum aut cogitatum, cuius ratio probabilis reddi poteſt.

*De vtro verò genere officiorum agitur in his libris?*

De hoc altero genere, quod in præceptis poſitum eſt vtilibus in cõmuni vita, quodque cadit in virum bonum. Nam illud prius quaſi diuinum eſt, quod vix ab homine poteſt præſtari.

*Cuiuſmodi ergò præcepta de hoc genere traduntur?*

Præcepta, quæ traduntur duplicia ſunt: Quædam generalia, de cauſis officiorum in genere, efficiente, formali, materiali, & finali: Quædam ſpecialia, de ſingulis honeſtatis & officiorum partibus.

*Quænam eſt efficiens cauſa officiorum?*

Natura: à qua cunctarum actionũ principia, virtutumque quaſi ſemina naſcuntur. Ab hac enim animantium omni generi tributa ſunt iſta quatuor: I. Vt ſe, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur. II. Vt omnia, quæ ſint ad viuendum neceſſaria acquirat, & paret, vt paſtum, vt latibula, vt alia eiuſdem generis. III. Coniunctionis appetitus, procreandi cauſa. IIII. Cura quædam eorum quæ procreata ſunt.

*In hiisnè igitur operibus conſiſtit hominis officium?*

Non: nam hæc ſunt ſolùm Nutrientis, & ſentientis animæ, quibus facultatibus etiam bruta vtuntur animalia, ijsque ad præſens ſe ſolummodò accommodant, paulùm admodùm ſentientia præteritum, aut futurum. At homo particeps inſuper eſt Rationis, cuius hæ ſunt actiones propriæ, I. Sagax præteritorum, præſentium, futurorum cõtemplatio, veriq́ue inueſtigatio. II. Humanitas in orationis atque vitæ ſocietate: & præcipuus quidã amor atq; cura pro coniuge, pro liberis, pro cæteris quos

charos

charos habeat, tueriquc debeat. III. Principatus appetitio, animi magnitudo, humanarumque rerum contemptio. IIII. Ordinis decori atque modi in conſilijs, dictis, factis & vniuerſa vita obſeruatio. Quibus quidem in rebus cōſiſtit forma, & tāquam facies honeſtatis ſeu virtutis, quæ ſua natura eſt laudabilis.

*Quanam verò honeſtatis vel virtutis partes inde oriuntur?*

Partes honeſtatis naſcuntur inde quatuor, colligatæ inter ſe quidem & implicitæ: ſed tamen ſecundùm materiam & ſubiecta diſtinctæ. Vna in perſpicientia veri ſolertiaque occupata, Prudentia. Altera in hominum ſocietate communitateque vitæ conſeruanda, Iuſticia. Tertia in animi excelſi & inuicti magnitudine atque robore, Fortitudo. Quarta in eorū omnium, quæ fiunt, quęque dicuntur, ordine ac modo, Temperantia. Talis eſt ſingularum partium materia quam tractant, & in qua verſantur.

*Qui ſunt autem fines officiorum?*

Fines officiorum primi ſunt, Inuentio veritatis, & Actionum vitæ rectitudo, quæ honeſtate, & vtilitate nititur, extremus autem, ad quem diriguntur omnia, Felicitas.

## DE PRVDENTIA, PRIma parte Honeſtatis.

### CAPVT III.

*Quæ eſt igitur prima pars Honeſtatis, ſeu prima Virtus, ex qua officia oriuntur?*

PRima eſt PRVDENTIA, vel SAPIENTIA.

*Quid eſt prudentia?*

Eſt virtus, quæ in indagatione, & inuentione veri verſatur.

*Quot ſunt in hac virtute conſideranda?*

Duo præcipuè. I. Finis eius, cum contrario. II. Officia, quæ à Prudentia proficiſcuntur.

*Quis eſt eius Finis?*

Finis eius eſt ſcientia, ad cuius cupiditatem omnes à natura ducimur, in eaque excellere pulchrum putamus. Labi autem & errare, neſcire & decipi, malum & turpe ducimus.

*Quot ſunt officia de hac virtute obſeruanda?*

Quin-

Quinque potiſsimùm: quorum quædam quæ vitanda, quædam quæ facienda ſint, indicant.

*Quod eſt primum?*

Primum officium vel præceptum prudentiæ eſt, Vt ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temerè aſſentiamur. Quod quidē vitium effugere poterimus, ſi ad conſiderandas res & tempus, & diligentiam adhibuerimus.

*Quod ſecundum?*

Vt ne nimis magnū ſtudium, multamq́; operā in res obſcuras atque difficiles conferamus, eaſdemque non neceſſarias.

*Quod tertium?*

Vt in rebus honeſtis, & cognitione dignis operam curamq́ue noſtram collocemus.

*Quod eſt quartum?*

Vt à contemplatione veritatis ad actionem & ab hac rurſus, occaſione data, ad contemplationem, & liberalium ſtudiorum tractationem redeamus.

*Quod quintum?*

Vt omnis cogitatio motusq́; animi verſetur aut in cōſilijs capiendis de rebus honeſtis, & pertinentibus ad benè beateque

viuendum: vt Politicorum: Aut in ſtudijs ſcientiæ atq; cognitionis: vt Philoſophorū.

## DE IVSTITIA, SECVNda parte Honeſtatis.

### CATVT IV.

*Quænam eſt ſecunda pars honeſtatis?*

SEcunda honeſtatis pars, ſeu virtus ſecunda cardinalis, eſt IVSTITIA. Qua cum coniuncta eſt Beneficentia ſiue Liberalitas.

*Quid eſt Iuſtitia?*

Eſt virtus, quæ in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide verſatur.

*Quot ſunt in ea obſeruanda?*

Tria, I. Finis eius. II. Officia ſiue munera. III. Contrarium.

*Quinam Finis propoſitus eſt Iuſticiæ?*

Finis eius in hoc cōſiſtit. Vt ſocietas humanæ vitæ conſeruetur, atq; adiuuetur.

Quot

*Quot ſunt propria eius munera?*

Quatuor præcipuè: Primum eſt: vt ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria.

*Quod ſecundum?*

Secundum eſt, vt communibus quiſque pro communibus vtatur, priuatis autem vt ſuis.

*Quomodo verò cognoſcitur, quæ communia ſint, aut priuata?*

Natura quidem communia ſunt omnia: Fiunt autē priuata tribus ferè rationibus. Aut enim occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt: Aut victoria: vt qui bello potiti ſunt. Aut denique lege, pactione, conditione, ſorte: vt ager Arpinas Arpinatum, Tuſculanus Tuſculanorum, &c.

*Quodnam eſt tertium munus iuſtitiæ?*

Tertium eſt, vt quæ priuata facta ſunt, non nobis tantùm reſeruemus, ſed naturam ducem ſecuti, communes vtilitates in medium afferamus, mutatione officiorū, dando accipiendoque tùm artibus, tùm opera, tùm facultatibus hominū inter homines ſocietatem deuinciamus, id eſt, vt exerceamus beneficentiam.

*Quod quartum?*

Quartum eſt, vt fides conſeruetur, id eſt, dictorum conuentorumq́ue conſtantia & veritas, quæ fundamentum eſt, & conſeruans cauſa iuſtitiæ.

# DE INIVSTITIA, ſiue Iniuria.

## CAPVT V.

*Quod eſt contrarium Iuſtitiæ?*

IN iuſtitia, vel Iniuria.

*Quid eſt Iniuſtitia?*

Eſt vitium, quod plus appetendo quàm debetur, violat ius humanæ ſocietatis.

*Quot ſunt genera Iniuſtitiæ?*

Duo: Vnum eorum, qui inferunt iniuriam. Alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant iniuriam, defenſionemuè prætermittunt.

*Quot modis infertur Iniuria.*

Duobus: Aut de induſtria nocendi cauſa infertur: Aut aliqua perturbatione. Itēq; rurſus, aut fraude fit iniuria: aut vi.

*Quibus rationibus adducuntur homines, vt de induſtria faciant iniuriam?*

Tribus

Tribus potiſsimùm: quarum prima eſt Metus iniuriæ: cùm is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne ipſe aliquo afficiatur incommodo.

*Quænam eſt altera cauſa?*

Altera eſt Auaritia: multi enim ad iniuriam faciendam aggrediuntur, tantùm vt adipiſcantur ea quæ concupiuerunt.

*Ipſius autem Auaritiæ quæ ſunt cauſæ?*

Quatuor: expetuntur enim diuitiæ ab aliquibus quidem ad vſus vitę neceſſarios. Ab aliquibus ad perfruendas voluptates. In aliquibus pecuniæ cupiditas ſpectat ad opes, & gratificandi facultatem. Alios denique delectant magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia, atque copia.

*Num igitur & rei familaris amplificatio vitioſa eſt?*

Rei familiaris amplificatio iuſta, neminique nocens, non eſt vituperanda: ſed fugienda ſemper iniuria eſt.

*Quæ iam eſt tertia cauſa propter quam conſultò infertur iniuria?*

Tertia eſt Ambitio: maximè enim adducuntur plerique, vt eos iuſtitiæ capiat

obliuio, cùm in imperiorũ, honorum, gloriæuè cupiditatem inciderint, quę quidem cupiditas in maximis animis, ſplendidiſſimisque ingenijs plerumque exiſtit.

*Quid intereſt inter hanc conſultam iniuriam, & eam quæ infertur aliqua perturbatione?*

Quæ animi aliqua perturbatione fit, tolerabilior eſt, quàm quæ conſultò & cogitatò fit iniuria: quoniam illa plerunque breuis eſt, & ad tempus. Leuiora ſunt autem ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata & præparata inferuntur.

*Alterius iam Iniuſtitiæ, in prætermittendæ defenſione, quæ ſunt cauſæ?*

Plures huius ſolent eſſe cauſæ: cuiuſmodi ſunt hæ ſeptem. I. Metus inimicitiarum. II Fuga laborum. III. Auaritia eorum qui ſumptus ferre nolunt. IIII. Negligentia, pigritia, inertia. V. Occupationes priuatæ. VI. Studium rei familiaris tuendæ. VII. Odium hominum.

*An igitur non iuſti ſunt Philoſophi, qui ſuis intenti ſtudijs lædunt neminem?*

Difficile eſt hoc affirmare. Nam dum al-

tero

tero iniuſtitiæ genere vacant, non inferenda, ne cui noceant, iniuriam, in alterum incidunt. Diſcendi enim ſtudio impediti, deſerunt vitæ ſocietatem: quia nihil conferunt in eam ſtudij, nihil operæ, nihil facultatum.

*Eademnè verò iuſtarum, & iniuſtarum rerum ratio manet?*

Non ſemper: ſed incidunt ſæpè tempora, cùm ea quæ maximè videntur digna eſſe iuſto homine, viroque bono, commutantur, fiuntque contraria, vt non reddere depoſitum furioſo, nec facere promiſſum, quæque pertinent ad veritatem, & ad fidē, ea negare interdum, & non ſeruare ſit iuſtum.

*Quomodo verò in huiuſmodi rebus iuſtum quod ſit, ab iniuſto diſcernemus?*

Referri talia decet ad primas illas regulas, & quaſi fundamenta iuſtitiæ: Primùm vt ne cui noceatur. Deinde vt communi vtilitati ſeruiatur. Ea cum tēpore commutantur, commutatur etiam officium, & non ſemper eſt idem.

*Quæ igitur promiſſa non ſunt ſeruanda?*

Primùm ea, quæ ſint ijs, quibus promiſeris,

ſeris, inutilia. Deinde ea, quæ plus tibi noceant, quã illi proſint, cui promiſeris. Tum & illis promiſſis ſtandum non eſt, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiſerit, quò etiam pertinet callida & malitioſa iuris interpretatio.

# DE INIVRIAE VINDICATIONE: & DE BELLICIS OFFICIJS.

## CAPVT VI.

*Quænam ſunt aduerſus eos officia ſeruanda, à quibus iniuriam acceperimus?*

DVplex eſt iniuriæ vindicandæ ratio: vna priuata: & altera publica.

*In priuata ergò vindicatione quid eſt faciendum?*

Duo in hac ſunt obſeruanda præcepta: Primum, ſi ſatis videbitur eſſe, eum, qui laceſſierit, iniuriæ ſuæ pænitere, condonanda culpa eſt.

*Quod eſt alterum præceptum?*

Si neceſſarium omninò fuerit vlciſci, vt & is qui læſerit nequid tale poſthac commit-

mittat, & cæteri ſint ad iniuriam tardiores: puniendi tamen modus eſt adhibendus.

*Quomodo publicè iniuriam licet vindicare.*

Duo ſunt genera decertandi, & publicè dirimendæ controuerſiæ: Vnum per Diſceptationem & legitimum iudicium: Alterum per vim atque bellum. Cumquè illud proprium ſit hominis hoc belluarum: priori ante omnia ſtudendum eſt: confugiendum autem ad poſterius, ſi vti non licet ſuperiore.

*Belli verò quæ officia ſunt tenenda?*

Sex potiſſimùm: quorum alia ad deliberationem, & initia bellorum, alia ad intermedium tempus, alia ad finem eorundem pertinent.

*Quod eſt primum huius generis præceptum?*

Paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum.

*Quod ſecundum?*

Suſcipienda bella ſunt, vt ſine iniuria in pace viuatur.

*Quod tertium?*

Nul-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0035-8

Nullum bellum iuſtum eſt exiſtimandum, niſi quod aut rebus repetitis geratur aut denunciatum antè ſit, & indictum.

*Quod quartum?*

Ea bella, quibus imperij gloria propoſita eſt, minùs acerbè crudeliterq́ue gerenda ſunt, quàm ea, in quibus de vita dimicatur.

*Quodnam quintum?*

Parta victoria, conſeruandi ſunt ij, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt. Cumq́ue omnibus devictis conſulendum eſt: tùm ij, qui armis poſitis ad imperatorum fidem confugiunt, (quamuis murum aries percuſſerit,) recipiendi ſunt.

*Quod eſt ſextum?*

Si quid ſinguli, temporibus adducti, hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides conſeruanda.

*Quomodo erga ſubiectos, & inferiores eſt exercenda iuſticia?*

Infima conditio & fortuna ſeruorum eſt: quibus vtendum ita eſt, vt mercenarijs, ad operam exigendam, & iuſta, (victum ſcilicet & amictum) præbenda.

Quomo-

*Quomodo verò differt iniuria, quæ vi ſit, ab illa quæ ſit fraude?*

Fraus quidem quaſi vulpeculæ, vis verò leonis eſſe videtur: vtrumque ab homine alieniſsimum eſſe debet: ſed fraus odio digna maiore eſt: maximè ſi ſimulationem virtutis adiunctam habet. Totius enim iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quàm eorum, qui tùm, cùm maximè fallunt, id tamen agunt, vt viri boni eſſe videantur.

## DE LIBERALITATE, atque Gratia.

### CAPVT VII.

*Dic iam etiam, quid eſt Liberalitas?*

Liberalitas, vel Benignitas, vel Beneficentia, eſt virtus, quæ de ſuo tribuit ad aliorum vſus, cũ modo, & cuiuſque dignitate.

*Quænam ſunt hac de virtute cautiones, vel regulæ ſeruandæ?*

Tres potiſſimùm: quarum prima docet quale dandum ſit vbique beneficium: ſecunda quantum: tertia quibus perſonis tribuendum.

*Quæ eſt igitur prima regula?*

Viden-

Videndum eſt, ne obſit benignitas & his ipſis, quibus benignè videbitur fieri, & cæteris.

*Quinam verò peccant contra hanc regulam?*

I. Qui gratificantur cuipiam, quod obſit illi, cui prodeſſe velle videantur. Qui nõ liberales, ſed pernitioſi aſſentatores iudicandi ſunt. II. Qui alijs nocent, & eripiunt, quæ alijs largiantur: quemadmodum faciunt interdũ homines ſplendoris & gloriæ cupidi, ac ne hi quidem liberales ſunt habendi: quoniam nihil eſt liberale, quod non idem ſit iuſtum.

*Quænam eſt altera regula?*

Alter locus cautionis eſt. Ne maior benignitas ſit, quàm facultates patiantur.

*Quot modis peccatur contra hanc regulam?*

Tribus modis. Nam qui benigniores eſſe volunt, quàm res ipſorum patitur, primùm in eo peccant, quòd iniurioſi ſunt in proximos: quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt, & relinqui, eas tranferũt ad alienos. Deinde ineſt in tali liberalitate cupiditas rapiendi plerunque, & auferendi per iniuriam, vt ad largiendum ſuppe-

tant copiæ. Tertiò, videre licet pleroſque non tàm natura liberales, quàm quadam gloria inductos, vt benefici videantur, facere multa, Quæ quidem ſimulatio atque oſtentatio vanitati eſt cõiunctior quàm aut liberalitati, aut honeſtati.

*Quæ eſt tertia regula?*

Tertia eſt, vt in beneficentia delectus fiat perſonarum, & vnicuique pro dignitate tribuatur.

*Quæ verò ſunt in perſonarum dignitate conſideranda?*

Quatuor I. Mores ſpectandi ſunt eius, in quem beneficiũ conferre volumus. II. Animus eiuſdem, & benevolentia erga nos. III. Officia noſtras ad vtilitates antè collata. IIII. Vitæ ſocietas, & communitas qua ſit ille nobiſcum coniunctus.

*In moribus quæ ſunt ſpectanda?*

Duo. Primum, quia non viuitur cũ perfectis hominibus, plenèque ſapientibus, nemo negligendus omninò eſt, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat.

Deinde colendus ita quiſque eſt, vt maximè virtutibus his leniorib. erit ornatus, Modeſtia, Temperantia, & Iuſtitia.

*Iam de Beneuolentia quid eſt tenendum?*

De beneuolentia, quam quiſque habeat erga nos: Primùm illud eſt in officio, vt ei tribuamus plurimum, à quo plurimum diligimur. Deinde vt benevolentiam non adoleſcentulorum more iudicemus ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potiùs, & conſtantia: hoc eſt, ne temerè amicos faciamus, aut nouos veteribus præferamus.

## *Quid faciendum eſt in officiis atq; meritis in nos antè collatis?*

Si erunt merita, vt non ineunda, ſed referenda ſit gratia, maior quædam cura adhibenda eſt: propterea quod nullum officium, referenda gratia, magis ſit neceſſarium. Sunt autem hæc potiſſimùm tria obſeruanda I. Acceptorum beneficiorum delectus ſunt habendi, & maximo cuique quod acceptum fuerit, plurimum eſt rependendum. II. Quo quiſque animo, ſtudio, beneuolentia fecerit, ponderandum: nec tanti faciendum, quod temeritate aliqua, aut repentino motu animi, quā quod iudicio & conſideratè ſit delatum. III. Vt quiſque maximè opis indigeat, ita ei potiſſimùm eſt opitulandum.

# DE GRADIBVS HVmanæ ſocietatis.

## CAPVT VIII.

*Quomodo tandem ad ſocietatem vitæ beneficia erunt accommodanda?*

OPtimè ſocietas hominum coniunctioque ſeruabitur, ſi vt quiſquè nobis erit coniunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferamus.

*Sed quî ſcire poſſumus, quemadmodum quiſque nobis ſit coniunctus?*

Id vt ſciamus, tria potiſſimùm erũt conſideranda. I. Gradus perſonarum in omni ſocietate humana. II. Res quæ in ſingulis gradibus communicandæ ſint. III. Comparatio graduum, quiq; cui præferendus.

*Quot ſunt igitur gradus ſocietatis humanæ?*

Gradus præcipui ſex ſunt. Primus quî cernitur in vniuerſi generis humani ſocietate. Secundus eſt eiuſdem gentis atque nationis. Tertius eſt, hominum eiuſdem ciui-

ciuitatis. Quartus eiuſdem familiæ, domeſticorum, propinquorum, fratrum, conſobrinorum &c. Quintus amicorum, cùm viri boni aut moribus ſimiles familiaritate iuncti ſunt: aut mutuis beneficijs ſibi inuicem deuincti. Sextus & poſtremus eſt vnius cuiuſque viri boni cum Repub. ſiue patria.

*Quæ verò res ſunt in primo gradu communicandæ?*

Vniuerſalis hominum communitatis I. Vinculum eſt, Ratio & Oratio, quæ propria eſt hominis, & docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, iudicando conciliat inter ſe homines, coniungitquè naturali ſocietate. II. Communium bonorum quę ad omnium vſum natura genuit, in ea eſt ſeruanda communitas: vt quæ deſcripta ſunt legibus & iure ciuili, è quibus cognoſcuntur cætera: qualia ſunt, Non prohibere aquā profluentem, Pati ab igne ignem capere, ſi quis velit, Conſilium fidele deliberanti dare, &c. quæ ſint accipienti quidem vtilia, danti verò non moleſta. III. De priuatis quoque rebus ſemper aliquid ad communem vtilitatem afferendum eſt, ſed ita, vt reſeruemus, vnde in noſtros liberales eſſe poſſimus.

*Quæ-*

*Quænam ſunt hominibus eiuſdem nationis, & ciuitatis tribuenda?*

Propior communitas eſt eiuſdem gentis, nationis, linguæ, qua maximè homines coniunguntur. Interior etiam neceſſitudo hominum eiuſdem ciuitatis: quibus inter ſe communia ſunt, forum, fana, porticus, viæ, leges, iura, iudicia, ſuffragia: conſuetudines pręterea, & familiaritates, multæquè cum multis res rationesquè contractæ.

*Inter propinquos autem quæ ſunt officia commutanda?*

Arctior colligatio eſt ſocietatis propinquorum, propter coniugia, liberos, vnam domum, communem vſum rerum omnium. Atque cùm ipſa ſanguinis coniunctio deuincit charitates hominum: tùm magnum eſt, eadem habere monimenta maiorum: eiſdem vti ſacris, ſepulchraquè inter ſe habere communia. Quamobrem neceſſaria vitæ præſidia his debentur maximè

*Quæ verò amicis debentur beneficia?*

Nulla ſocietas præſtantior eſt aut firmior, quàm cùm viri boni moribus ſimi-

les familiaritate coniuncti ſunt. Sed enim & magna illa communitas eſt ſocietatum, quæ conficitur ex beneficijs vltrò citròq; datis & acceptis. Itaque vita, victusque communis, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, interdum etiam obiurgationes in amicitiis vigent.

*Quid tandem debetur patriæ?*

Omnes omnium charitates patria vna complexa eſt; pro qua nemo bonus dubitare debet etiam mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus.

*Qui verò gradus ex his cui eſt in tribuendo beneficio præferendus?*

Si contentio quædam & cōparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officij, principes ſunt patria, & parentes; quorum beneficijs maximis obligati ſumus. Proximi deinde ſunt liberi, totaq; domus, quæ ſpectat in nos ſolos, neque aliud vllum poteſt habere profugium. Tertiò bene conuenientes propinqui, quibuſcum communis fortuna plerũque eſt. Secundum quos quartò & amicorum eſt habenda ratio; eſtq; ea iucundiſſima ſocietas, quam ſimilitudo morum coniugauit.

*Eademnè ſemper ratio in his officijs conferendis eſt tenenda?*

Non ſemper: neceſſitas enim temporum iſtos gradus mutat. Itaque videndum eſt, quid cuique maximè neceſſe ſit; & quid quiſq; nobiſcum, vel ſine nobis aut poſſit conſequi, aut non poſſit. Sunt enim quædam officia, quæ alijs magis quàm alijs debeantur: vt vicinum citiùs adiuueris in fructibus percipiendis, quàm aut fratrem, aut familiarem: at ſi lis ſit in Iudicio, propinquum potiùs & amicum, quàm vicinum defenderis.

*Sed quomodo hæc omnia rectè tenere poſſumus in officio cuique pro dignitate tribuendo?*

Conſuetudinem exercitationemque accedere oportet: ſine qua nulli artifices, quamvis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum conſequi poſſunt.

## DE FORTITVDINE, primùm privata, philoſophica.

### CAPVT IX.

*Quæ iam eſt tertia pars honeſtatis, ſeu virtus tertia, vnde officia demanant?*

TErtia, eaq; ſplendidiſſima eſt FORTITVDO.

*Quid eſt Fortitudo?*

Eſt virtus, quæ animo magno, elatoque humanas res deſpicit, laboresquè ac pericula ſuſtinet, æquitatis & communitatis gratia, & vt à Stoicis definitur, Fortitudo eſt virtus propugnans pro æquitate.

*Quot ſunt hac de virtute obſeruanda?*

Quatuor: I. Proprium munus, ac finis fortitudinis. II. Vitia ei contraria. III. Species eius. IIII. Officia ſingularum ſpecierum.

*Quod eſt igitur proprium munus, & finis fortitudinis?*

Munus eius in duabus rebus maximè cernitur: Quarum prima quidem eſt deſpicientia rerum externarum: Altera verò magnarum rerum adminiſtratio. Finis eſt, ipſius æquitatis, & vtilitatis communis conſeruatio.

Quæ

*Quæ ſunt vitia fortitudini contraria?*

Vitia, quæ in genere pugnant cum fortitudine, aut eam comitantur, præcipua tria ſunt: I. Timiditas, & animns muliebris, quin in probris maximè obijcitur. II. Audacia & elatio animi ea, quæ in periculis & laboribus imitatur fortitudinem: ſed iuſticia vacat, pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis. III. Pertinacia, & nimia cupiditas principatus, quę in hac animi magnitudine facillimè innaſcitur.

*Quid ergò, qui gloriæ ſtudio principatum quærit, annon eſt inter fortes quoq; numerandus?*

Non poteſt talis inter fortes numerari. I. Quia difficile eſt, eum, qui præſtare omnibus concupierit, ſeruare æquitatem. II. Quod neque diſceptatione vinci ſe, nec vllo publico iure patiatur. III. Quòd tales homines exiſtunt in Repub. plerunque largitores & factioſi, vt opes quàm maximas conſequantur: & ſint vi potiùs ſuperiores, quàm iuſticia pares. IIII. Quia non propulſant, ſed faciunt iniuriam. V. Quòd in inani gloria potiùs, quàm factis hone-

ſtum putant eſſe poſitum. VI. Quòd ex errore multitudinis imperitæ pendent. VII. Quòd facilimè ad res iniuſtas impellitur, vt quiſq; altiſſimo eſt animo, & gloriæ cupido.

*Quas iam in ſpecies fortitudo dividitur?*

In duas: Alia enim Privata dicitur: alia verò Publica.

*Quæ dicitur fortitudo Privata?*

Ea quæ conſiſtit in rerum externarum deſpicientia: perſuaſumque habet, nihil hominem, niſi quod honeſtum decorũq; ſit aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nullique neque homini, neque perturbationi animi, neque fortunæ ſuccumbere.

*Quotuplex eſt iterum hæc privata fortitudo?*

Duplex: vna Philoſophica: & altera Oeconomica.

*Quæ vocatur fortitudo Philoſophica?*

Quæ in privata & otioſa vita inveſtigat, aut conatur magna quædam: ſeſeque ſuarum rerum finibus continet.

*Quod*

*Quodnam eſt huiuſce fortitudinis officium proprium?*

Officium eius in his duobus cernitur: I. Vt ſolùm id quod honeſtum ſit, bonum iudicet: cætera verò, quæ eximia plerisque videntur, parva ducat, eaque ratione ſtabili firmaque contemnat. II. Vt ab omni animi perturbatione libera ſit: & ea quæ videntur acerba, ita ferat, vt nihil à ſtatu naturæ ac viri ſapientis diſcedat.

*Quæ vitia ſunt in hac fortitudine vitanda?*

Quatuor: I. Avaritia fugienda eſt: nihil eſt enim tam anguſti animi, quàm amare divitias: nihil magnificentius, quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas; ſin habeas ad beneficentiam conferre. II. Gloriæ cupiditas cavenda eſt: quæ libertatem eripit: propter quam magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. III. Principatus appetitio eſt vitanda: & imperia vel non expetenda; vel potiùs aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam. IIII. Vacandum eſt omni animi perturbatione; tùm cupiditate, & metu; tùm etiam ægritudine, & voluptate, & iracundia: vt tranquillitas adſit & ſecuritas,

quæ afferat cùm conſtantiam, tùm etiam dignitatem.

## DE OECONOMICA fortitudine.

### CAPVT X.

*Quænam dicitur fortitudo Oeconomica?*

EA, quæ contemptis honoribus, & cæteris quæ mirantur alij, re ſua familiari delectatur maximè.

*Anne inter fortes quoque numerandi ſunt, qui rei familiari ſeruiunt?*

Sunt ſanè: Si quidem rem familiarem non omni ratione exaggerant: & ſi ab eius vſu non excludunt alios: ſed & amicis inde: & ſi neceſſe eſt Reip. aliquid impartiunt.

*Quænam ab his ſeruanda ſunt officia?*

Iſta quatuor: I. Vt bene parta ſit res familiaris, nullo neque turpi quæſtu, neque odioſo. II. Vt quàm plurimis, modò dignis, vtilem ſe præbeat. III. Vt augeatur ratio-

ratione diligentia, parſimonia. IIII. Vt non libidini potiùs luxuriæque, quàm liberalitati & beneficentiæ pateat.

## DE PVBLICA FORtitudine, & primùm ciuili.

### CAPVT XI.

*Quæ dicitur fortitudo Publica?*

QVæ cernitur in rebus gerendis, magnis illis quidem, & maximè vtilibus: ſed vehementer arduis, pleniſque laborum, & periculorum: tùm vitæ tùm multarum cauſa rerum, quæ ad vitam pertinent.

*Vtra verò fortitudo præſtat alteri, priuatanè illa, an iſthæc publica?*

Omnis ſplendor, & amplitudo, & vtilitas eſt in poſteriore hac: cauſa autem & ratio efficiens magnos viros, eſt in priore.

*Annon autem præſtat, tranquilitatem illam vitæ ſequentem, à publicis ſeſe negotijs remouere?*

Multi quidem hoc fecerũt: & in his nobiliſſimi philoſophi; & quidam homines ſeveri & graves nec populi, nec principum mores ferre potuerunt. Et ſanè facilior, & tutior, & minùs alijs gravis, aut moleſta vita eſt otioſorum; fructuoſior autem hominum generi, & ad claritatẽ, & ad amplitudinem aptior eorum, qui ſe ad Remp. & ad res magnas gerendas accõmodaverunt.

*Quid ſi quis neglecta illa amplitudine, privatam ſectetur vitã, num contra officium videbitur facere?*

Concedendum forſitan eſt Remp. non capeſſentibus, primùm ijs, qui excellentes ingenio doctrinæ ſeſe totos dediderunt. Deinde ijs quoq;, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua graviore cauſa impediti, à Repub. receſſerunt, cùm eius adminiſtrandæ poteſtatem alijs laudemque concederent. Quibus autem talis nulla ſit cauſa, ſi deſpicere ſe dicant ea, quæ plerique admirentur imperia & magiſtratus: his non modò non laudi, verùm etiam vitio dandum eſt. Videntur enim non gloriam contemnere; ſed labores & moleſtias gubernationis timere, & fugere.

*Quæ ſunt igitur publicæ fortitudinis officia generalia?*

Hæc quinque potiſſimum: I. Iis, qui habent à natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione, adipiſcendi magiſtratus ſunt & gerenda Reſp. eſt. II. Capeſſentibus Rempub. non minùs quàm philoſophis magnificentia, & deſpicientia adhibenda eſt rerum humanarum, & tranquillitas animi, ac vacuitas ab angoribus. III. Ad rem gerendam qui accedit, ei cavendum eſt, ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit: ſed etiam vt habeat efficiendi facultatem. IIII. In hoc ipſo conſiderandum eſt, ne aut temerè deſperet, propter ignaviam: aut nimis confidat, proptet cupiditatem. V. In omnibus negotijs, priuſquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

*Quotuplex eſt iterum fortitudo Publica?*

Duplex: vna quidem Vrbana: altera verò Bellica.

*Quæ nominatur fortitudo Vrbana?*

Vrbana, vel Togata fortitudo nominatur, quæ in vrbe pacis tempore occupata eſt, in Repub. conſtituenda, gubernanda, conſeruanda.

*Quæ ſunt huiuſce fortitudinis officia ſpecialia?*

Duodecim omninò præcepta Reipub. gubernatoribus ſunt obſeruanda. Primum quod optimum eſſe Reipub. ſentiunt, liberè dicendum eſt, nec inuidiæ metu diſſimulandum.

*Quod eſt ſecundum?*

Vtilitas ciuium ſic tuenda eſt, vt quicquid agant gubernatores, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Vt enim tutela, ſic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſi, gerenda eſt.

*Quod tertium?*

Totum corpus Reipub. eſt curandum: ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Ex quo pernicioſiſſimæ diſcordiæ, ſeditiones, bellaque ciuilia naſcuntur.

*Quod quartum?*

Nemo criminibus falſis in odium, aut invidiam vocandus: omninoque ita iuſtitiæ honeſtatique adhæreſcendum: vt non ſolùm offenſiones gubernator ſubeat, ſed etiam mortem oppetat potiùs, quàm illa deſerat.

*Quod quintum?*

Ambitio fugienda eſt, honorumq́; contentio. Similiter enim faciunt ij, qui inter ſe contendunt, vter potiùs Rempub. admiſtret, vt ſi naturæ certarent, quis eorum potiſſimùm gubernaret.

*Quod ſextum?*

Aduerſarij ſunt exiſtimandi, qui arma contra ferunt: non ij qui ſententijs à nobis diſcrepant, ſuoque iudicio tueri Remp volunt: ideoque cum talibus minùs acerba debet eſſe diſſenſio.

*Quodnam ſeptimum?*

Non grauiter iraſcendum etiam inimicis: nihilq́; laudabilius eſt, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate atque clementia.

*Quod octauum?*

Facilitas eſt exercenda: in liberis preſertim populis, & iuris æquabilitate: ne ſi iraſcamur intempeſtiuè accedentibus, aut imprudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem & odioſam incidamus.

*Quod nonum?*

Manſuetudo tamen & clementia in gubernatore ita probanda eſt, vt adhibeatur Reip. cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt.

*Quod decimum?*

Omnis animadverſio & caſtigatio. I. Contumelia vacare debet: neque ad eius qui punit aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad Reip. vtilitatem referri. II. Cavendum eſt etiam, ne maior pœna, quam culpa, ſit: & ne iiſdem de cauſis alij plectantur, alij ne appellentur quidem. III. Prohibenda maximè eſt ira in puniendo: nunquã enim iratus qui accedit ad pœnam, mediocritatem tenebit.

*Quod vndecimum?*

In rebus etiam proſperis, & ad voluntatem noſtram fluentibus, ſuperbia, faſtidiũ, arrogantia magnopere eſt fugienda. Nam vt adverſas res, ſic ſecundas immoderatè ferre, levitatis eſt: præclaraq́ue eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademq́ue frons.

*Quod duodecimum?*

Etiam in ſecundiſſimis rebus, maximè eſt vtendum conſilio amicorum, hisq́ue maior etiam, quàm antè tribuenda eſt autoritas. Iiſdemq́ue temporibus cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aureis, nec adulari nos ſinamus: in quo falli facile eſt.

DE

# DE BELLICA FORTItudine.

## CAPVT XII.

*Quænam eſt fortitudo Bellica?*

BEllica ſive militaris, ſive caſtrenſis fortitudo eſt, qua in re militari pro Repub. animi magnitudo declaratur.

*Num verò hæc eſt præſtantior quàm vrbana?*

Plerique quidem arbitrãtur, res bellicas maiores eſſe, quàm vrbanas: ſed ſunt quatuor cauſæ, propter quas vrbanam illam fortitudinem hac militari non inferiorem iudicamus. I. Quòd multi ſæpe bella movent, non propter vtilitatem publicam, ſed ob privatæ cupiditatem gloriæ. II. Quòd prudentũ vrbana conſilia diutiùs proſunt Reip. vimq́ue maiorem habent ad res preclarè gerendas, quàm imperatorum arma. III. Quòd honeſtatis & fortitudinis laus non in corporis, ſed animi viribus conſiſtit, in quibus plus operæ ſtudijq́ue ponẽdum eſt. IIII. Quòd eorum, qui togati præſúnt Reip. conſilio, ſæpe aut non ſuſcepta, aut feliciter confecta bella ſunt: nonnunquam etiam iuſtè illata.

*Quæ verò ſunt officia circa bellicam fortitudinem obſeruanda?*

Sex ſunt obſeruanda præcipuè: quorum primum hoc eſt: Expetenda quidam magis eſt decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo, ſi qua extiterit controuerſia. Sed hîc cauendum eſt, ne id bellandi magis fuga, quàm vtilitatis ratione faciamus.

*Quod eſt ſecundum?*

Bellum ita ſuſcipiendum eſt, vt nihil aliud niſi pax quæſita videatur.

*Quodnam tertium?*

Fortis animi & conſtantis eſt, non perturbari in rebus aſperis: nec tumultuantem de gradu deijci: ſed præſentis animi vti conſilio: nec à ratione diſcedere.

*Quod quartum?*

Illud etiam ingenij magni eſt, percipere cogitatione futura: & aliquantò ante conſtituere, quid accidere poſſit in vtranq; partem: nec committere, vt aliquando dicendum ſit. Non putaram.

*Quod quintum?*

Temerè in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam, & belluarum ſimile eſt. Sed cùm tempus neceſſitasque poſtulat, decertandum manu eſt, &

mors

mors ſeruituti turpitudinique anteponenda.

*Quod eſt ſextum præceptum?*

Victoria parta, nihil temerè crudeliterq; faciendum eſt, in euertendis diripiendisq; vrbibus: idque eſt viri magnanimi, rebus agitatis, punire ſontes: multitudinem conſeruare: in omni fortuna recta atque honeſta retinere.

*Ergòne ſemper vir fortis ſeſe imminentibus, periculis obijciet?*

Nunquam omninò periculi fuga committendum eſt, vt imbelles timidique videamur. Sed fugienda pariter Audacia eſt: ne offeramus nos periculis ſine cauſa, quo nihil poteſt eſſe ſtultius.

*Quomodo verò modum illum tenebimus?*

In adeundis periculis conſuetudo imitanda medicorum eſt, qui leuiter ægrotantes leuiter curant: grauioribus autem morbis periculoſas curationes & ancipites adhibere coguntur.

*Sed qua ratione leuiora pericula à grauioribus diſcernentur?*

Hanc

Hanc ad rem primò genera periculorũ: deinde præcepta quædam ſunt tenenda.

*Quæ ſunt igitur periculorum genera?*

Periculoſæ actiones, I. Aliæ Privatæ ſunt eorum, qui eas ſuſcipiunt: aliæ Publicæ, quæ ad vniverſam Rempub. pertinent, II. Alij de vita; Alij de gloria, & benevolentia civium, aut ſimili de cauſa in diſcrimen vocantur.

*Quæ iam præcepta de his ſunt obſervanda?*

Duo ſunt obſervanda. I. Promptiores eſſe debemus ad noſtra pericula, quàm ad communia. II. Dimicare paratiùs convenit de honore & gloria, quàm de cæteris commodis.

*Sempernè igitur gloria pecuniæ cæteriſq; commodis eſt anteponenda?*

Non ſanè. Siquidem meritò reprehenduntur ij, qui cùm pecuniam & vitam profundere pro patria eſſent parati, gloriæ iacturam ne minimam quidem facere voluerunt. ne Republ. quidem poſtulante: velut Callicratidas ille, & Cleombrotus Lacede-

cedęmonij, qui exercitum amittere, quàm hoſti cedendo invidiam ſubire maluerunt. Laudabilius autem Q. Fab. Maximus egit, qui nihil faciens aliorum obtrectationes, plus cunctando, quàm imperatores reliqui pugnando Hanibali nocuit.

## DE TEMPERANTIA, ac Decoro:

### CAPVT XIII.

*Quænam eſt quarta pars Honeſtatis?*

QVarta eſt TEMPERANTIA, quæ interdum Modeſtia, & Verecundia, & Modus & Ornatus vitæ &c. nominatur.

*Quid eſt Temperantia?*

Eſt virtus, quæ in omnium eorum quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine & modo verſatur.

*Quæ ſunt in hac virtute obſervanda?*

Hæc tria: I. Munus proprium Temperantiæ, II. Finis eius. III. Officia quæ inde oriuntur.

Quod

*Quod eſt proprium munus Temperantiæ?*

Munus eius eſt, Motus animi & corporis regere; & in voluptatibus ac doloribus, & in dictis atque factis modum oſtendere.

*Quis eſt Finis eius?*

Finis, & quaſi fundamentum Temperantiæ eſt, Decorum illud producere, quod Græcè πρέπον dicitur: cuius vis ea eſt, vt ab Honeſto non queat ſeparari.

*An non igitur in ſuperioribus etiam honeſtatis partibus decorum cernitur?*

Imò verò in illis etiam quid deceat apparet. Nam & ratione vti atque oratione prudenter, & agere quod agas conſiderare, omniq; in re quid ſit veri videri & tueri decet: contraque falli, errare, labi, decipi, tàm dedecet, quàm delirare & mente captum eſſe. Et iuſta omnia decora ſunt: iniuſta contra, vt turpia, ſic indecora. Similiſque ratio eſt fortitudinis: quod enim viriliter animoque magno ſit, id dignum viro & decorum videtur: quod contra, id vt turpe, ſic indecorum.

Qualis

*Qualis eſt ergò differentia inter decorum & honeſtum?*

Qualis ſit inter hæc duo differentia, faciliùs intelligi, quàm explanari poteſt. Nã & quod decet: honeſtum eſt: & quod honeſtum eſt, decet. Differt tamen decorum ab honeſto tempore, tanquam effectus à cauſa: quod cum antegreſſa eſt honeſtas, tum id quod decet ſequitur, & non recondita ratione cernitur. Quemadmodum autem pulchritudo corporis ſecerni non poteſt à valetudine: ſic decorum totum cum virtute confuſum eſt, & non niſi cogitatione diſtinguitur.

*Cur igitur ex temperantia demum naſci decorum dicitur?*

Quia duplex eſt decorum: Vnum generale, quod in omni honeſtate, verſatur. Alterum huic ſubiectum, ſpeciale, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis.

*Quod eſt decorum illud generale?*

Id quod conſentaneum eſt hominis excellentiæ, in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differt.

*Quodnam ſpeciale?*

Id quod ita naturæ conſentaneum eſt, vt in eo moderatio, & temperantia appaareat.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0063-3

reat, cum ſpecie quadam liberali. Atque hoc decorum huius loci proprium eſt, cuius natura hîc eſt cognoſcenda.

*Quomodo verò eius natura cognoſcitur?*

Cognoſcitur ea aliquo modo ex eo decoro, quod poëtæ ſequuntur. Quemadmodum enim poëtas dicimus ſeruare illud quod deceat, cùm id quod quaque perſona dignum eſt & fit, & dicitur: ſic vnicuique noſtrûm ſuam quaſi perſonam natura tribuit, quam pro dignitate tueri decorum eſt.

*Quod eſt autem diſcrimen inter illud decorum poëticum, & hoc Philoſophicum?*

Poëtæ in magna varietate perſonarum, varium quoque & mutabile decorum habent: ſic vt etiam in vitioſis videant, quid conveniat, & quid deceat. Hoc verò Philoſophicum vel morale decorum nunquam fit vitioſum: ſed ſemper excellentiam homini à natura præ cæteris animantibus tributam reſpicit: & conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes ſic tuetur, vt omnes approbent.

*Ergò ad aliorum quoque approbationem in hoc decoro reſpiciendum eſt?*

Maximè verò: nam eadem natura nos docet, non negligere, quemadmodum nos adverſus homines geramus. Vt enim pulchritudo corporis apta cōpoſitione membrorū movet oculos, & delectat hoc ipſo, quòd inter ſe omnes partes quodam lepore conſentiunt: ſic hoc decorum quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibus cum vivitur, ordine, & conſtantia, & moderatione dictorum omnium atque factorum. Adhibenda eſt igitur quædam reverentia adverſus homines, & optimi cuiuſque & reliquorū. Nam negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omninò diſſoluti.

*Quodnam erit igitur hac in parte diſcrimen inter iuſtitiam & verecundiam?*

Iuſtitiæ quidem partes ſunt, non violare homnes vi, aut fraude: verecundiæ verò, non morum, dictorum, factorumque deformitate offendere: in quo maxima vis decori perſpicitur.

# DE OFFICIIS TEMPErantiæ: primùm generalibus.

## CAPVT XIIII.

*Quæ iam ſunt officia Temperantiæ?*

OFficia eius ſunt duplicia: Alia quidem generalia, quæ communiter ad omnes pertinent: alia verò ſpecialia, quæ ad certas circumſtantias diriguntur.

*Quot ſunt eiuſmodi officia generalia?*

Quatuor præcipuè: quorum primum cum ſuperioribus quoq; virtutibusq́; commune eſt: ſed maximam vim habet in temperantia: nimirum, vt ad conuenientiam conſeruationemq́ue naturæ referamus omnia, eamq́ue quaſi ducem ſequamur.

*Quæ verò ſunt ad naturæ conuenientiam hic referenda?*

Non ſolùm corporis, qui ad naturam apti ſunt, ſed multò etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati ſunt.

*Quotu-*

*Quotuplex eſt vis animi ad naturam accommodandi?*

Duplex: Vna pars in Appetitu poſita eſt, quæ eſt ὁρμὴ Græcè: quæ hominem huc & illuc rapit, Altera in Ratione, τῷ λόγῳ; quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumvè ſit.

*Quod eſt ſecundum præceptum?*

Secundum ex priore ſequitur. Quoniam enim omnis actio ad naturam accommodata eſſe, & vacare debet temeritate & negligentia: Efficiendum eſt igitur, vt Appetitus obediant Rationi: eamq́; neq; præcurrant, propter temeritatem; nec propter pigritiam aut ignauiam deſerant: ſintque tranquilli, & omni perturbatione careant Ex quo elucebit omnis conſtantia, omniſque moderatio.

*Quænam eſt huius præcepti ratio?*

Qui appetitus euagantur longiùs, ſiue cupiendo, ſiue fugiendo, ac non ſatis à ratione retinentur atque coërcentur; hi ſine dubio finem & modum tranſeunt: ac non modò animos perturbant, ſed etiam corpora. Licet ora ipſa cernere iratorum, aut

eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatusq́ue mutantur.

*Quod eſt tertium præceptum generale?*

Tertium eſt, vt cogitemus, ita generatos à natura nos eſſe, non vt ad ludum & iocũ facti videamur: ſed ad veritatem potiùs, & quædam ſtudia grauiora, atque maiora.

*Nunquam igitur ludo, aut ioco licet vti?*

Licet quidem: ſed in ijs hæc duo ſunt obſeruanda: I. Ludo iocòue vtendum ſicut ſomno, & quietibus cæteris: tùm videlicet, cùm grauibus ſerijsq́ue rebus ſatis fecerimus. II. Ipſum genus iocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet. Probatur enim iocus, in quo aliquod probi ingenij lumen elucet.

*Quotuplex eſt ergò iocus?*

Duplex: Vnus illiberalis, petulans, flagitioſus, obſcœnus: Alter elegans, vrbanus, ingenioſus, facetus. Et hic quidem ſi tempore fit, ac remiſſo animo, homine libero dignus eſt: Ille non homine quidem dignus.

dignus, ſi rerum turpitudini adhibetur verborum obſcœnitas.

*Numquid de ludis præterea ſciendum eſt?*

De ludis hæc præterea duo ſunt obſeruanda: I. Modus quidam ludendi eſt retinendus: vt ne nimis omnia profundamus: elatique voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur. II. Genera ludorum apta perſonis: nempe vt pueris quidem nō omnem licentiam ludendi demus: ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena, in viris autem honeſta exempla ludendi appareant: ſicut erant aliqui Romæ in campo Martio, & in venatione.

*Quod eſt quartum præceptum generale?*

Quartò, pertinet etiam ad omnem officij quæſtionem, ſemper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque beſtijs antecedat: eique dignitati conuenientem voluptatem quærere Eſt autem ea non corporis voluptas, ad quam bruta feruntur omni impetu: ſed Animi qui diſcendo alitur, & cogitando, ſemper aliquid aut inquirit, aut agit, vidnediq; & audiendi delectatione ducitur.

*Omninóne igitur corporis voluptas eſt repudianda?*

Corporis voluptas ea non ſatis eſt digna hominis præſtantia, ideoque contemnenda eſt & reijcienda. Sin ſit quiſpiam paulò ad voluptates propenſior, ei hæc duo hac de voluptate tenẽda ſunt: I. Occultandus & diſsimulandus eſt appetitus voluptatis, propter verecundiam II. Modus eius fruendæ diligenter tenẽdus eſt; omnisq́; victus cultuſq; corporis ad valetudinem & ad vires, non ad voluptatem ipſam eſt referendus.

# DE SPECIALIBVS OFficijs Temperantiæ: & primum de Perſonis.

## CAPVT XV.

*Quæ ſunt officia Temperantiæ ſpecialia?*

SPecialia hîc ea vocamus, quæ ad certas diriguntur circumſtantias, in quibus decorum cernitur.

*Quot ſunt huiuſmodi circumſtantiæ, ad quas illa diriguntur officia?*

No-

Nouem: I. Perſona. II. Aetas III. Conditio vitæ. IIII. Corpus & animus V. Dicta vel oratio. VI Facta, vel actiones. VII. Locus. VIII. Tempus. IX. Inſtitutum vitæ vel Artificium.

*Quæ ſunt ergò in Perſonis conſideranda?*

Duo: I. Cauſæ ac ſpecies perſonarum. II. Præcepta vel officia de ſingulis ſpeciebus obſeruanda.

*Quæ ſunt cauſæ Perſonarum.*

Cauſæ perſonarum tres ſunt: aut enim Natura nobis perſonam imponit: aut Fortuna eam attribuit: aut noſtra voluntas aliquam aſſumit.

*Cuiuſmodi perſonam Natura imponit?*

Natura duplicem cuique perſonam induit: vnam quidem Communem, hominis tanquam ſpeciei; quatenus omnes participes ſumus rationis, præſtantiæque eius, qua antecellimus beſtijs. Alteram verò vnicuique Propriam, hominis tanquam indiuidui: qua, quemadmodum in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt, ſic in animis & moribus diuerſorum exiſtunt etiam maiores diuerſitates.

*Quodnam præceptum de communi perſona eſt tenendum?*

Ea cuique agenda ſunt, ad quæ hominum natura facta eſt: contraque vniuerſam naturam, id eſt, rectam rationem, nihil eſt contendendum.

*Quæ ſunt ſeruanda in perſona propria?*

Tria præcipuè: Primum, Ad modum tuenda ſunt ſua cuique non vitioſa, id eſt: Ad propriam naturam ſunt dirigenda ſtudia noſtra, nec naturæ repugnandum: nec quicquam ſequendum quod aſſequi nequeas.

*Quod eſt ſecundum præceptum?*

Omninò ſi quicquam eſt decorum, nihil eſt profectò magis, quàm æquabilitas vniuerſæ vitæ: tùm ſingularum actionum: quam conſeruare non poſſis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam.

*Quod tertium?*

Si quando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenij non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia: vt ea, ſi non decorè, at quàm minimè indecorè facere poſſimus; nec tam eſt eniten-

dum, vt bona, quæ nobis data non ſunt, ſequamur: quàm vt vitia fugiamus.

*Qualem iam Fortuna perſonam tribuit?*

Fortuna, vel caſus interdum nobis obijcit, quod variat tempore. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, eaq́; quę ſunt his cõtraria, in caſu ſita ſunt.

*Quomodo verò in his conſeruabitur officium?*

Temporis diligens eſt habenda ratio. decorum ſeruandum: vitia fugienda.

*Qualis à noſtra voluntate perſona dependet?*

Ipſi quam perſonam gerere velimus, à noſtra voluntate proficiſcitur. Itaque ſe alij ad Philoſophiam, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiam applicant: ipſarumq́ue virtutum in alia alius mauult excellere.

*Quotuplex eſt ea voluntas?*

Triplex ferè: I. Quorum patres aut maiores aliqua gloria præſtiterunt, hi ſtudent plerumque in eodem genere laudis excellere. II. Quidam autem ad eas laudes, quas à patribus acceperunt,

addunt aliquam ſuam, vt illos ſuperent. III. Fit etiam interdum, vt non nulli omiſſa imitatione maiorum, ſuum quoddam inſtitutum ſequantur. In quo plerunque elaborant ij, qui magna ſibi proponunt, obſcuris orti maioribus.

*Quæ ſunt igitur in eliganda tali perſona perpendenda?*

Tria præcipuè ſunt obſeruanda præcepta: quorum primum eſt, Ante omnia cõſtituendum eſſe, quos nos, & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ verſari.

*Quod eſt ſecundum præceptum?*

Quandoquidem illa deliberatio eſt omnium difficillima, in adoleſcentia præſertim, quæ propter imbecillitatem conſilij nondum poteſt, quod eſt optimum, dicare: idcirco deligendi ſunt, quos imitemur, & ad quorum ſtudia inſtitutaque contendamus.

*Quænam res in hac deliberatione ſolent ſpectari?*

Quatuor potiſſimùm. I. Plerique parentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem moremq́; viuendi deducuntur II. Alij multitudinis iudicia feruntur: quæq́ue maiori parti pulcherrima videntur.

tur, ea maximè exoptant. III. Nonnulli tamen ſiue felicitate quadam, ſiue bonitate naturæ, ſiue parentum diſciplina, rectam vitæ ſecuti ſunt viam. IIII. Illud autem maximè rarum genus eſt eorum, qui aut excellente ingenij magnitudine, aut præclara eruditione, aut vtraque re ornati, ſpatium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſſimùm vitæ curſum ſequi vellent.

*Sed eſtnè tutum ſemper, parentes maioréſue imitari?*

In parentum ac maiorum imitatione tria ſunt notanda. I. Vt ne illorum vitia imitemur. II. Si natura noſtra non feret, vt quædam imitari poſſimus, aut aſſequi ſtudiorum genera: illa tamen præſtare debemus, quæ erunt in noſtra poteſtate. III. Optima autem hæreditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, gloria virtutis, rerumque geſtarum: cui dedecori eſſe, nefas & vitium iudicandum eſt.

*Quod eſt tertium huius electionis præceptum?*

Ad ſuam cuiuſque naturam, & fortunã in hac deliberatione conſiliũ eſt omne reuocandum. Ad hanc enim rationem quo-

niam maximam vim natura habet, fortuna proximam: vtriuſque omninò ratio habenda eſt in deligendo genere vitæ, ſed magis naturæ.

*Quodnam quartum?*

Qui ad naturæ ſuæ non vitioſæ genus conſilium viuendi omne contulerit: is conſtantiã teneat: niſi fortè ſe erraſſe intellexerit in delig ndo genere vitæ. Quod ſi verò facienda morum inſtitutorumque mutatio eſt, tempus idoneum eſt expectandum: & ſenſim pedetentim que facienda mutatio: & omni ratione curandum, vt id bono cõſilio feciſſe videamur.

## DE DIVERSARVM ætatum officijs.

### CAPVT XVI.

*Iam de Aetate quid præcipitur?*

QVoniam officia non eadem diſparibus æta ibus tribuuntur: idcirco hîc quoque duo ſunt conſideranda: I. Partes vel ſpecies ætatum. II. Officia quæ ſingulis conueniunt.

*Quæ ſunt hoc loco ſpecies ætatum perpendendæ?*

Duæ præcipuè: Vna quidem Iuuenum, altera verò Seniorum.

*Quæ ſunt officia Iuuenum?*

Tria: Primum, Adoleſcentis eſt, maiores natu vereri: ex hisq́; eligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio atque autoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenum conſtituenda & regenda prudentiâ eſt.

*Quod eſt ſecundum?*

Maximè hæc ætas à libidinibus arcenda eſt: exercendaque in labore, patientiaq́; & animi & corporis: vt eorum & in bellicis, & ciuilibus officijs vigeat induſtria.

*Quodnam tertium?*

Cùm relaxare animos, & dare ſe iucunditati volent adoleſcentes: cauere debent intemperantiam: & meminiſſe, verecundiæ, quæ hanc maximè ætatem exornat.

*Quomodo verò id præſtabunt?*

Erit hoc præſtare faciliùs, ſi eiuſmodi quoque rebus maiores natu intereſſe patiantur.

*Quæ ſunt officia ſeniorum?*

Tria quoque: primum, Senibus labores corporis ſunt minuendi: exercitationes autem animi augendæ.

*Quod eſt ſecundum?*

Danda ſenibus opera eſt, vt & amicos, & iuuentutem, & maximè Rempub. conſilio & prudentia quamplurimum adiuuent.

*Quodnam tertium?*

Hæc tria ſnut cauenda vitia ſenectuti: deſidia, luxuria, libidinum intemperãtia. Nam hæc non ſolùm ſenectuti dedecus afferunt, ſed etiam adoleſcentium impudentiorem faciunt intemperantiam.

## DE DIVERSARVM Conditionum officijs.

### CAPVT XVII.

*In vitæ verò conditione quænam ſunt conſideranda?*

DVo itidem hîc ſunt conſideranda I. Genera conditionum vitæ atque perſonarum, II. Officia eorundem.

Quæ

*Quæ conditionum genera iam veniunt notanda?*

Tria potiſſimùm. I. Magiſtratuum. II. Priuatorum hominum, ſiue ciuium. III. Peregrinorum.

*Quod eſt igitur officium Magiſtratus?*

Magiſtratus proprium munus in duobus conſiſtit: primum eſt, intelligere, ſe gerere perſonam ciuitatis; debereque eius dignitatem & decus ſuſtinere.

*Quod eſt alterum?*

Seruare leges; iura deſcribere; & ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe.

*Quod eſt munus ciuium priuatorum?*

Priuatorum munus tribus rebus nititur: Primum enim priuatum oportet iuſticiæ ſtudioſum eſſe, & æquo pariquе cum ciuibus iure viuere.

*Quod eſt ſecundum?*

Aequabilitatem vitæ ſeruare; & neque ſubmiſſum & abiectum eſſe; neque etiam ſeſe efferentem, arrogantem ac ſuperbum apparere.

*Quod tertium?* 

In Repub. ea velle, quæ tranquilla & honeſta ſunt: ſtudium nouarum rerum ac diſcordias fugere.

*Quod eſt officium peregrini?*

Peregrini & incolæ officium eſt, nihil præter ſuum negotium agere: nihil de alieno inquirere: minimèque in aliena Repub. eſſe curioſum.

## DE CORPORIS, ET Animi decoro.

### CAPVT XVIII.

*Eademnè cæterarum quoq; circumſtantiarum ratio eſt?*

EAdem prope omnium: Nam & in factis, & dictis, & corporis motu & ſtatu decorum requiritur: idque poſitum eſt in his tribus rebus, formoſitate, ordine, & ornatu, ad actionem apto. Quæ quidem difficiliùs eſt eloqui omnia, quam intelligere.

*Quæ ſunt autem de his præcepta vel officia obſeruanda?*

Præcepta de his traduntur duplicia:



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0080-7

Generalia quædam, quæ communiter ad haſce tres pertinent circumſtantias: & quædam Specialia de earum ſingulis.

*Quæ ſunt illa generalia?*

Generalia vel communia de his obſeruanda duo ſunt: Primum, Curandum eſt, vt probemur ijs, quibuſcum & apud quos viuimus: offendamus neminem.

*Quod eſt alterum?*

Naturæ exemplum imitandum eſt, & ſtudendum verecundiæ. Quemadmodum enim ipſa natura ſic corpus noſtrum effinxit, vt ſpeciem honeſtam in promptu poneret: partes autem ad naturæ neceſſitatem datas, ac deformes contegeret atque abderet: ſic nos ab omni quod abhorret ab ipſa oculorum auriumque approbatione fugiamus: ipſique neceſſitati demus operam, vt quàm occultiſsimè pareamus: quarumque partium corporis vſus ſunt neceſſarij, eas neque partes, neque earum vſus ſuis nominibus appellemus. Siquidem nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat: nec ornatio obſcœnitate.

*Quæ iam ſpecialia de his circumſtantijs præcepta ſunt tenenda?*

Diſtinctè dicendum eſt de ſingulis: & hoc quidem capite de Corpore & Animo: de Oratione verò atq; Factis in inſequentibus.

*Quæ ſunt igitur de corpore præceptanotanda?*

Octo: quæ partim ad formoſitatem & ornatum corporis, partim ad eiuſdem motum atque geſtum pertinent.

*Quod eſt primum præceptum?*

Cùm pulchritudinis duo genera ſint, quorum in altero, venuſtas ſit, in altero dignitas: venuſtatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem: Ideoque à forma remouere omnem ornatum viro non dignum.

*Quod ſecundum?*

Formæ dignitas coloris bonitate tuenda eſt: color exercitationibus corporis conſeruandus.

*Quod tertium?*

Mundities eſt adhibenda corpori, non odioſa, neque exquiſita nimis, ſed tamen ea quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam.

Quod

*Quod eſt quartum?*

Eadem ratio eſt habenda veſtitus: in quo ſicut in pleriſque rebus, mediocritas eſt optima, & habitus perſonæ conueniens.

*Quodnam quintum?*

In ſtatu, inceſſu, ſeſſione, accubatione, vultu, oculis, manuum motu decorum, & verecundia eſt retinenda.

*Quod ſextum?*

Duo in his rebus ſunt maximè fugienda: I. Ne quid effæminatum aut molle ſit. II. Ne quid durum nimis aut ruſticum appareat.

*Quod ſeptimum?*

In geſtu motuq; corporis etiam cauendum eſt, vt ne palæſtrici motus ſint ac nimij: nec vt hiſtrionum interdum inepti: ſed recti ac ſimplices.

*Quod eſt octauum præceptum?*

Cauendum etiam eſt in greſſu, ne aut tarditatibus vtamur mollioribus, quod ſuperbiæ ſignum eſt, & irrideri ſolet: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimius celeritates: quibus anhelitus mouentur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam.

Quæ

*Quæ traduntur hîc præcepta de Animo?*

Duo: Primum, elaborandum eſt, ne motus animi à natura recedunt, quod aſſequemur, ſi cauebimus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus, & ſi attentos animos ad decori conſeruationem tenebimus.

*Quod eſt alterum præceptum?*

Cùm duplices ſunt animorum motus; alteri Cogitationis: alteri Appetitus: cumque cogitatio vero exquirendo maximè verſetur: appetitus impellat ad agendum: Curandum eſt igitur, vt Cogitatitone ad res quàm optimas vtamur: Appetitum Rationi obedientem præbeamus.

## DE DICTORVM, VEL Orationis decoro.

### CAPVT XIX.

*Quæ iam ſunt in oratione conſideranda?*

IN oratione, in qua magna quoque vis eſt decori, duo ſunt conſideranda: I. Varietas orationis, II. Præcepta.

Quæ-

*Quænam eſt igitur orationis varietas?*

Duplex eſt omnis oratio: alia quidem Contentio, id eſt, oratio vehementior, cuius in forenſib. rebus, vt iudicijs, concionibus, ſenatu vſus eſt. Alia verò dicitur ſermo, id eſt, oratio remiſſior, qua vtimur in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium, & conuiuijs.

*Quæ verò præcepta de his ſunt tenenda?*

Contentionis quidem præcepta ſunt â Rhetoribus petenda. Sermonis autem hîc ſunt obſeruanda duodecim, in quibus omnibus quid deceat exquiritur.

*Quod eſt primum præceptum?*

Cùm orationis indicem habeamus vocem, in voce duo requiruntur; vt clara ſit, vt ſuauis: quorum vtrumque à natura petendum eſt: verum claritatem exercitatio augebit: ſuauitatem imitatio preſsè loquentium & leniter. Laudatur enim ſonus dulcis: literæ neque expreſſæ, neque oppreſſæ: ne aut obſcurum quid ſit, aut putidum: vox ſine contentione nec languens, nec canora.

Quod

*Quod ſecundum?*

Sit ſermo lenis minimeq́ue pertinax: inſit in eo lepos vt oblectet: nec verò tanquã in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios: ſed viciſſitudinis habeat, detq́ue alijs quoque locum loquendi.

*Quodnam tertium?*

Videndum eſt, quibus de rebus ſermo ſit: ſi ſerijs, ſeueritatem adhibeamus: ſin iocoſis, leporem.

*Quod quartum?*

Prouidendum eſt, ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe in moribus, quod maximè tùm ſolet euenire, cùm ſtudiosè de abſentibus detrahendi cauſa, aut per ridiculum, aut ſeuerè, aut maledicè contumelioſeque dicitur.

*Quod Quintum?*

Quoniam habentur plerunque ſermones aut de domeſticis negotijs: aut de Repub. aut de artium ſtudijs & doctrina: danda eſt opera: vt etiamſi aberrare ad alia cœperit, ad hæc reuocetur oratio.

*Quod ſextum?*

Animaduertendum etiam eſt, quatenus ſermo delectationem habeat: non enim ijſdem rebus, nec omni tẽpore, nec similiter omnes delectantur.

Quod

*Quod eſt ſeptimum?*

Opera danda eſt,ùt quemadmodum incipiendi ratio fuerit,ita ſit deſinendi modus,id eſt,vt vitetur loquacitas.

*Quod octauum?*

Perturbationibus& nimijs animi mõtibus rationi non obtemperantibus ſermo debet vacare: ne aut ira exiſtat,aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignauia, aut aliquid tale appareat.

*Quod nonum?*

Maximè curandum eſt, vt eos, quibuscum ſermonem conferimus, & vereri, & diligere videamur.

*Quodnam decimum.*

Quia obiurgationes nonnunquam incidunt amicis neceſſariæ, in quibus vtendum eſt fortaſſe & vocis contentione maiore,& verborum grauitate acriore: id agendum eſt,ne ea facere videamur irati: ſed neceſſitate impulſi, ſi nulla reperietur alia medicina Magna autem ex parte clementi caſtigatione licet vti: grauitate tamen adiuncta,vt& ſeueritas adhibeatur& contumelia repellatur. Atque etiam illud ipſum quod acerbitaris habet obiurgatio, ſignificandum eſt,ipſius id cauſa, qui obiurgetur,ſuſceptum eſſe.

Quod

*Quod eſt vndecimum præceptum?*

Rectum eſt etiam, in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiamſi nobis indigna audiamus, tamen grauitatem retinere, iracundiam repellere.

*Quod duodecimum?*

Deforme etiam eſt, de ſe ipſo prædicare, falſa præſertim: & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum.

## DE FACTORVM ET Actionum decoro.

### CAPVT XX.

*Quæ ſunt præterea de Factis cognoſcenda?*

AD facta & opera viri boni atque honorati prætereà referuntur, primùm quidem Aedificatio, ſiue domus: deinde verò Actiones omnes in genere. De quibus hoc loco præcepta traduntur, quę ad ornatum etiam pertinent.

*Quæ*

*Quæ ſunt igitur de Aedificatione ac domo tradita præcepta?*

Tria præcipuè: Primum, Ad vſum neceſſarium accomodanda eſt ædificandi deſcriptio: & tamen, adhibenda dignitatis commoditatisque diligentia. Cęterum ornanda eſt dignitas domo: non ex domo dignitas tota quærenda: nec domo dominus: ſed domino domus honeſtanda eſt.

*Quod eſt ſecundum præceptum?*

Laxitatis eſt adhibenda cura in domo clari hominis: in quam & hoſpites multi recipiendi ſunt: & admittenda hominum cuiuſque generis multitudo. Aliter ampla domus dedecori domino ſæpe fit, ſi eſt in ea ſolitudo: & maximè ſi aliquando alio domino ſolita eſt frequentari.

*Quod tertium?*

Cauendum eſt, præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumptu & magnificentia prodeas. Quo in genere multum mali in exemplo eſt, dum vulgus hominum facta principum imitatur.

*Quæ iam de Actionibus præcipiuntur in genere?*

Tria potiſſimùm in omni actione ſuſcipienda, ſunt conſideranda: primum eſt, vt Appetitus Rationi pareat: quo nihil eſt ad officia conſeruanda accomodatius.

*Quodnam ſecundum?*

Vt animaduertatur, quanta illa res ſit, quam efficere velimus, vt néue maior, néue minor cura & opera ſuſcipiatur, quàm cauſa poſtulet.

*Quod tertium?*

Vt ad ea, quæ pertinent ad liberalitatis ſpeciem, dignitatis & conditionis moderatio accedat. Modus enim optimus eſt videre, quid quemque deceat nec progredi longiùs.

# DE LOCORVM ET temporum decoro, de Ordine ac Modeſtia.

## CAPVT XXI.

*Quomodo Locis, & Temporibus decorum eſt accomodandum?*

IN Loco quidem decori conſeruatio dicitur εὐταξία, id eſt ordinis conſeruatio: in

in tempore verò εὐκαιρία, id eſt, opportunitas temporis vel occaſio nominatur. Vtraque virtus vocatur etiam Modeſtia, ſpecialiter accepto vocabulo.

*Quomodo igitur hîc definietur Modeſtia?*

Modeſtia, vt á Stoicis definitur, eſt ſcientia earum rerum: quæ aguntur aut dicuntur, loco ſuo collocandarum quemadmodum & Ordinem definiunt, compoſitionem rerum aptis & accomodatis locis. Itemque, Modeſtia eſt ſcientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum

*Quænam ſunt hac de virtute officia ſcienda?*

Sex ſunt obſeruanda præcipua: primum. Talis eſt Ordo actionum adhibendus, vt quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in vita omnia ſint apta inter ſe & conuenientia. Verbi cauſa, Ne vel in rebus ſerijs iocos, aut iocoſis ſeria tractemus. Siquidē pro locorum aut temporum diuerſitate, eadem actio laudari & vituperari ſolet.

*Quod eſt ſecundum præceptum?*

Non ea modo vitia, quæ multum ab humanitate diſcrepant: vt ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna & apparens

peruerſitas eſt vitanda: ſed etiam quæ parua videntur eſſe delicta, neque à multis intelligi poſſunt, ab his eſt diligentiùs declinandum.

## *Quomodo verò cognoſcuntur hæc minora vitia?*

Quemadmodum in fidibus aut tibijs, quamuis paulùm diſcrepent, tamen id à ſciente animaduerti ſolet: ſic in vita ſi quid diſcrepet, à diligentibus morum cenſoribus animaduertitur: & magna ſæpe colliguntur è paruis. Quid autem apte fiat, quid ab officio naturaque diſcrepet, facilè iudicabimus, I. Ex oculorum obtutu, ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione, ex mœsticia, ex hilaritate, ex riſu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex ſummiſſione, & ſimilibus. II. Non incommodum eſt, quale quodque eorum ſit, ex alijs iudicare: vt ſi quid dedeceat in illis, vitemus & ipſi: III. Non alienum eſt, ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines: vel etiam vſu peritos: & quid his de vnoquoque genere officij placeat, exquirere.

## *Quod eſt præceptum tertium?*

Quæ

Quæ more aguntur vbique & inſtitutis ciuilibus, illa ipſa ſunt pro præceptis viuendi habenda. Nec verò quemquam hoc errore duci oportet: vt, ſi quid fortè Socrates, aut Ariſtippus & ſimiles contra morem conſuetudinemq́ue ciuilem fecerint, locutiuè ſint, idem ſibi arbitretur licere. Magnis enim illi diuinis bonis hanc licentiam fuerunt aſſecuti.

*Quod quartum?*

Cynicorum ratio tota eſt reijcienda: qui omnia pariter honeſta vel turpia factu dictuq́ue ſtatuunt. Quæ quidem ſententia eſt inimica verecundiæ: ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.

*Quod eſt quintum?*

Eos, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis atque magnis eſt, obſeruare & colere debemus: vt bene de Repub. ſentientes, ac benè meritos, aut merentes: vt aliquo honore aut imperio affectos: tribuere etiam multum ſenectuti: cedere ijs qui magiſtratum habent: habere delectum ciuis & peregrini: in ipſo denique peregrino conſiderare, priuatimné, an publicè venerit.

*Quod ſextum?*

Ad ſummam ita viuere debemus, vt communem totius generis hominum conſociationem pro noſtra virili colamus tueamur, conſeruemus.

# DE INSTITVTO VITAE ac de Artificijs.

## CAPVT XXII.

*Quomodo iam in Artificijs decorum cernitur?*

ARtificiorum genera conſideranda ſunt: in quibus facilè, quid decorum ſit aut indecorum perſpicitur.

*Quot ſunt igitur artificiorum genera?*

Tria: Quædam enim Illiberalia ſunt & ſordida: quædam verò honeſta & liberalia: quædam denique intermedia.

*Quæ ſunt Illiberalia artiſicia?*

Illiberalium artificiorum atque quæſtuum ſunt potiſſimùm quinque genera. I. Improbantur hi quæſtus qui in odia hominum incurrunt; vt portitorum, vt fœneratorum. II. Mercenariorum omnium, quo-

quorum operæ, non artes emuntur. III. Propolarum & inſtitorum, qui mercantur ab alijs quod ſtatim vendant: qui nihil proficiunt, niſi admodùm mentiantur. qua vanitate nihil eſt turpius. IIII. Opifices omnes in ſordida arte verſantur, nec enim quicquam ingenuum poteſt habere officina. V. Minimè artes eæ probandæ ſunt quæ miniſtræ ſunt voluptatum, vt laniorum, coquorum, fartorum, piſcatorum; adde his vnguentarios, ſaltatores, totumque ludum talarium.

*Quæ ſunt artes liberales?*

Quibus aut prudentia maior ineſt: aut non mediocris vtilitas quæritur: vt Medicina, vt Architectura, vt doctrina rerum honeſtarum, quæ ſunt ijs, quorum ordini conueniunt, honeſtæ.

*Quæ ſunt artes intermediæ?*

I. Mercatura: quæ ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt: ſin magna & copioſa, multa vndiq; apportans, multisque ſine vanitate impartiens, non eſt admodùm vituperanda, Atque etiam ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potiùs, ſe in agros poſſeſſionesquè contulerit, videtur iure optimo poſſe laudari. II. Omnium rerum, exquibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura me-

lius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.

# DE COMPARATIONE honeſtorum.

## CAPVT XXIII.

*Quoniam de Honeſtate ſimplici dictum eſt: qualis iam eſt honeſtorum comparatio?*

EOrum ipſorum quæ honeſta ſunt, poteſt incidere contentio & comparatio: cùm quæritur, de duobus honeſtis vtrum ſit honeſtius. Fit autem illa collatio duobus modis: I. Secundùm partes honeſtatis. II. Secundùm Perſonas.

*Quomodo ſecundum partes honeſtatis?*

Partes honeſtatis ſunt illæ quatuor: vna cognitionis, Prudentia: altera communicatis, Iuſtitia: tertia magnanimitatis, Fortitudo: quarta moderationis, Temperantia. Atque harum triplex inſtituitur comparatio: I. Iuſtitia confertur cum Prudentia. II. Cum Fortitudine. III. Cum Temperantia.

## *Quomodo Iuſtitia comparatur cum Prudentia?*

Aptiora ſunt naturæ ea officia, quæ ex communitate, id eſt, Iuſtitia oriuntur: quàm ea quæ ducuntur ex cognitione, hoc eſt, Prudentia.

## *Quibus id argumentis poteſt confirmari?*

Multa ſunt huius rei argumenta: hæc verò ſex præcipua: I. Quod vir ſapiens licet in omnium rerum affluentia, ſolitudinem tamen ſic oderit, vt è vita velit excedere potiùs, quàm hominē non videre. II. Quod latiùs pateant, & ſeipſis contenta ſint officia iuſtitiæ: Cognitio verò manca ſit, ſi nulla actio rerum conſequatur. III. Quòd actionibus, tanquam communi vitæ vtilioribus magis afficiantur homines, quàm contemplatione: & à perſpiciendis rebus cognitione digniſſimis, ad depellendum periculum à patria, propinquis &c. accurrant. IIII. Quòd ipſi ſapientes non acquieſcant cognitioni rerum: ſed ad agendum ac docendum progrediantur: quod multorum monumenta teſtantur. V. Quòd elocutio prudens vtilior eſt vitæ, quàm ſapientiſſima meditatio. VI. Quòd vt apes ad fingendum fauos, ſic homines ad colendam inter ſe ſocietatem nati videantur.

*Quomodo ſe Fortitudo habet ad Iuſtitiam?*

Nimirum Fortitudinis quoque officia cedunt officijs iuſtitiæ, Nam magnitudo animi remota à communitate coniunctione que humana, feritas fit quædam & immanitas.

*Num verò Iuſtitia etiam Temperantiæ modeſtiæq; eſt anteponenda?*

Non ſemper: ſunt enim quædam, quæ iuſtè fieri videntur; ſed ſunt contra modeſtiam: ſuntque partim ita fœda, partim ita flagitioſa, vt ea ne conſeruandæ quidem patriæ cauſa ſapiens ſit facturus: quæque ne Reſpub. quidem pro ſe ſuſcipi volet.

*Quomodo ſecundum perſonas honeſtorum inſtituitur comparatio?*

Quantum ad perſonas attinet: Primus officiorum gradus DEO debetur: Secundus Patriæ: Tertius Parentibus: deinceps gradatim reliqua reliquis debentur, ſicut ſuprà de gradibus humanæ ſocietatis eſt oſtenſum.

Finis libri primi.

# IN M. T. CICERONIS LIBRVM II. DE OFFICIIS.

## EROTEMATA.

## DE ARGVMENTO LIbri, de ſcriptione Vtilitatis, & generibus rerum vtilium.

### CAPVT I.

*Quæ de re agitur in ſecundo libro?*

AGitur de altero fine officiorum, qui eſt VTILITAS. De vtilitate verò etiam quęritur primùm quidem ſimpliciter & abſolutè, quid ſit vtile: Deinde verò per comparationem, ex vtilibus quid vtilius, aut quid maximè vtile.

*Quæ ſunt igitur in vtilitate ſimplici conſideranda?*

Quatuor potiſſimùm: 1, Deſcriptio &

quaſi forma vtilitatis. II. Diuiſio, materia & genera rerum vtilium. III. Cauſæ efficientes vtilitatis, & incommodi. IIII. Modi vtilitatis comparandæ, ac præcepta.

*Quid nominatur vtile?*

Quicquid ad commoda vitæ, & ad earum rerum, quibus vtuntur homines, facultates, ad opes, ad copias pertinet.

*Eſtné verò diuerſum vtile ab honeſto?*

Vulgus quidem hominum conſuetudine deflexit eò, vt vtile ab Honeſto ſecerneret: & conſtitueret, honeſtum aliquid eſſe, quod vtile non eſſet: & vtile, quod nō honeſtum. Summi verò philoſophi rectiùs hęc tria inter ſe confuſa, cogitatione tantū diſtinguunt. Quicquid enim iuſtum ſit, id vtile etiam eſſe cenſent: Itemque quod honeſtum, idem eſſe iuſtum. Ex quo efficitur, vt quicquid hōeſtum ſit, idē ſit vtile.

*Quæ ſunt autem genera rerum vtilium?*

Quæ ad vitam hominum tuendam pertinent: I. Partim ſunt Inanimata: vt aurum argentum, vt ea quæ gignuntur è terra: & alia eiuſdem generis. Partim animata, quæ ſuos habent impetus atq; appetitus.

II. Ani-

II. Animatorum alia rationis expertia ſũt: vt equi, boues, & reliquæ pecudes, & apes &c. Alia ratione vtentia. III. Horum rurſus duo ſunt genera: Vnum Deorum: Alterum Hominum: Earum autem rerum quæ noceant & obſint, eadem eſt diuiſio.

# DE CAVSIS CONFICIENTIBUS vtilitatis, & incommodi.

## CAPVT II.

*Quot ſunt cauſæ conficientes vtilitatis, & incommodi?*

CAuſæ vtilitatis aliæ quidem extremæ ſunt: aliæ verò intermediæ. Extremæ quatuor ſunt præcipué: DEVS, Homines, Res irrationales, & Fortuna.

*Quænam harum quatuor eſt potiſſima?*

Potiſſima cauſa conſiſtit in hominibus, qui ſibi inuicem plurimum & prodeſſe, & obeſſe ſolent.

*Atqui maior vis Deo adſcribenda videtur in vtranq; partem?*

DEVM nemini nocere, ſapientes putãt,

benignum autem pietate effici. Proximè igitur & ſecundum Deum, homines hominibus maximè vtiles eſſe arbitrantur: ideoq́ue conciliandos eorum animos, & ad vſus noſtros adiungendos.

*Quid verò è rebus inanimatis & irrationalibus, an non plus vtilitatis percipitur, quam ab hominibus?*

Quæcunque ex illis percipiuntur vtilitates hominum opera & adminiſtratione perficiuntur, veluti. I. Ex inanimatis rebus, valetudinis curatio, nauigatio, agricultura, fructuum perceptio & conſeruatio, rerum quibus abundamus exportatio, & eorum quibus egemus inuectio: lapidum item & metallorũ effoſſio, tectorum aduerſus tempeſtates ſubſtructio, ductus aquarum, deriuatio fluminum, & ſimilia: quæ ſine hominum opere non haberemus. II. Nullã quoq; ex beſtijs commoditatem perciperemus, niſi homines adiuuarent: eas q́ue, quæ vſui ſunt, caperent, domarent, paſcerent, tuerentur: easq́ue quæ nocent, interficerent. III. Artium præterea multitudo, quæ ad ſanitatem ægrorum & oblectationem valentium, ad victum cul-

tumq́ue vitæ pertinent; inſtituta denique Rerumpub. leges, mores, viuendi diſciplina, & cætera, quibus non ſolùm exculta hominum vita, plurimum diſtat à victu cultuq́ue beſtiarum: ſed etiam ſine quibus vita hominis omnino nulla eſſe potuiſſet, hominum labore, manibus, & induſtria ſunt inuenta atque conſtituta.

*Suntnè verò, vt vtilitatum, ſic etiam incommodorum, homines ſibi autores inuicem?*

Imò verò nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur. Nam ſi colligantur cauſæ, quibus conſumuntur homines, eluuionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, belluarum impetus; & ſi comparentur: plures inuenientur deleti homines hominum impetu, id eſt, bellis, aut ſeditionibus, quàm omni reliqua calamitate.

*Quid autem Fortunæ tribuendum eſt ad conferenda commoda vel incommoda?*

Magnam quidem vim eſſe in fortuna in vtranque partem, vel ad ſecundas res, vel aduerſas: non negamus. Verum fortuna cæteros caſus rariores habet: primum ab

inanimis procellas, tempeſtates, naufragia, ruinas, incendia: deinde à beſtijs ictus, morſus, impetus. At verò interitus exercituum, clades imperatorum, inuidię multitudinis, atq; ob eas benemeritorum ſæpe ciuium expulſiones, calamitates, fugę rurſusq́; ſecundæ res, honores, imperia, victoriæ &c. quanquam fortuita ſunt: tamen ſine hominum operibus & ſtudijs neutram in patrem effici poſſunt.

*Quæ ſunt intermediæ cauſæ vtilitatis comparandæ?*

Intermediæ, vel adiuuantes quaſiq́; inſtrumentales cauſæ tres ſunt: Pietas, Ars, & Virtus. I. Deum enim placatum ac benignum pietas vitæq́ue ſanctimonia facit. II. In rebus verò inanimis, item q́ue in vſu & tractatione belluarum, quæ fiunt vtiliter ad hominum vitam, artibus ea perficiuntur operoſis ſiue mechanicis. III. Hominum autem ſtudia, quæ plurimum poſſunt, ad amplificationem noſtrarum rerum prompta ac parata, virorum præſtantium virtute excitantur.

*Quibus in rebus conſiſtit illa virtus?*

Virtus omnis tribus in rebus ferè verti-

tur: quarum vna eſt in perſpiciendo, quid in quaque re verum, ſyncerumq́; ſit, quid conſentaneum cuique, quid conſequens, ex quoquæque gignantur, quæ cuiusque rei ſit cauſa: vt Prudentia Altera cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant: appetitionesq́;, quas illi ὁρμὰς vocant, obedientes efficere rationi: id eſt, Temperantia. Tertia, ijs quibuſcum congregamur vti moderatè & ſcienter: quorum ſtudiis ea quæ natura deſiderat, expleta cumulataque habeamus: per eos denique ſi quid importetur nobis incommodi propulſemus, vlciſcamurque eos, qui nocere, nobis conati ſunt, tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas humanitaſque patiatur, hoc eſt, Iuſtitia, & Fortitudo.

*Quid igitur his de cauſis vtilitatis obſeruandum eſt?*

Obſeruandum præcipué hoc eſt, quemadmodum eam facultatem aſſequi poſſimus, vt hominum ſtudia complectamur: quos intelligimus, & ad vtilitatem, & ad incommodum plurimum valere.

DE

# DE MODIS COMPArandæ vtilitatis ab hominibus: & primum de Beneuolentia.

## CAPVT III.

*Cùm igitur conſtet, plurimùm hominib. prodeſſe homines, quibus modis eorum ſtudia ad vtilitates noſtras allicere atque excitare poterimus?*

Modi cõficiendæ vtilitatis ab hominib. dupliciter conſiderantur: I. In perſona dantis. II. Accipientis.

*Quot ſunt modi in perſona dantis?*

Septem: Nam quæcunque homines homini tribuunt ad eum augendum atque honeſtandum: I. Aut beneuolentiæ gratia faciunt, cùm aliqua de cauſa quempiam diligunt: II. Aut honoris, ſi cuius virtutem ſuſpiciunt, cumq; dignum fortuna quàm ampliſſima putant: III. Aut cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitran-

trantur: IIII. Aut cuius opes metunt. V. Aut contra à quibus aliquid expectant: VI. Aut cùm reges popularesque homines largitiones aliquas proponunt: VII. Aut precio ac mercede ducuntur.

*Quot ſunt tales modi in accipiente?*

Totidem, Nam vt ſubijciant ſe homines imperio alterius & poteſtati, decuntur, I. Aut beneuolentia: II. Aut beneficiorum magnitudine: III. Aut dignitatis præſtantia: IIII. Aut ſpe ſibi id vtile futurum: V. Aut metu, ne vi parére cogantur: VI. Aut ſpe largitionis promiſſionisque capti: VII. Aut poſtremò mercede conducti.

*Poſſuntnè hi tot modi ad pauciores reuocari?*

Poſſunt vtrique ad hos reuocari quatuor. I. Beneuolentiam. II. Fidem. III. Honorem vel gloriam. IIII. Beneficientiam vel liberalitatem.

*Dic igitur de primo modo?*

Primus, BENEVOLENTIA: contrarium habet odium, quod à metu proficiſcitur, in quibus ſunt hæc obſeruanda quatuor: I. Finis, vel effectus vtriusque. II. Subiectæ perſonæ, quibus eſt comparanda.

randa beneuolentia. III. Modicius conciliandæ.

*Quis eſt ergò finis & effectus harum rerum?*

Omnium rerum nec aptiùs eſt quicquam ad opes tuendas ac tenendas, quàm diligi: nec alienius, quàm timeri. Nam, vt Ennius ait, Quem metuunt, oderunt, Quem quiſque odit, perijſſe expetit. Itaque qui ſe metui volent, à quibus metuuntur, eoſdem metuant & ipſi neceſſe eſt, id quod Dyoniſij, Alexandri Pherej, Phalaridis, Demetrij, aliorumq́ue omnium tyrannorum vita & exitus declarauit: quorum haud ferè quiſquam ſine metu vixit, & interitum crudelem effugit.

*Nuſquam ne igitur ſeueritate vtendum eſt?*

Iis ſanè, qui vi oppreſſos imperio coercent, ſit adhibenda ſæuitia: vt heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt. Qui verò in libera ciuitate ita ſe inſtruunt: vt metuantur: his nihil poteſt eſſe dementius.

*Quid*

NB *Quid verò de perſonis hîc tenendum eſt?* NB

Ad cuiuſque vitam inſtituendam accommodandum eſt, à multisné opus ſit, an ſatis ſit à paucis diligi, ſiquidem beneuolentia ciuium, honore atque gloria non æqué omnes egent: ſed alij quidem multorum, vt ſummi viri: alij verò pauciorum, vt mediocres. Certum autem hoc eſt, & vtriſque maximè neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & noſtra mirantium.

*Quibus autem rationibus beneuolentia comparatur?*

Beneuolentia. I. Beneficijs capitur maximè. II. Benefica voluntate declaranda mouetur, etiamſi res fortè non ſuppetat. III. Vehementer amor multitudinis commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum & facilitatem. NB.

# DE FIDE, ALTERO modo vtilitates comparandæ.

## CAPVT IIII.

*Quænam eſt ſecunda ratio vtilitatis ab hominibus comparandæ?*

SEcunda ratio eſt FIDES; vt nimirum exiſtimemur bene rebus aliorum poſſe conſulere.

*Quæ ſunt in hac parte obſeruanda?*

Duo: I. Cauſæ efficientes fidei. II. Earundem inter ſe comparatio.

*Quæ ſunt igitur efficientes cauſæ fidei?*

Fides vt habeatur, duabus rebus effici poteſt: ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam.

*Quare prudentia requiritur ad fidem conciliandam?*

Quia fidem ijs libenter habemus, quos plus intelligere, quàm nos arbitramur: quoſque & futura proſpicere credimus; & cùm res agatur, in diſcrimenque ventum ſit,

ſit,expedire rem & conſilium ex tempore capere poſſe.

*Cur poſtulatur Iuſtitia?*

Quoniam iuſtis & fidis hominibus, id eſt, viris bonis ita fides habetur, vt nulla ſit in his fraudis iniuriæque ſuſpicio, itaque his ſalutem noſtram, fortunas, liberos rectiſſimè committi arbitramur.

*Vtra verò harum ad fidem faciendam plus pollet?*

Iuſtitia: quippe quæ ſine prudentia ſatis habeat autoritatis: prudentia ſine iuſtitia nihil valeat ad faciendam fidem. Quo enim quis verſutior & calidior eſt, hoc inuiſior & ſuſpectior detracta opinione probitatis.

*Poteſtné verò aliquis iuſtus eſſe, qui non idem prudens ſit?*

Eſt quidem ea, virtutum inter ſe cognatio, de qua conſtat inter Philoſophos, vt, qui vnam habet, omnes habeat: cæterùm ad communem vulgi opinionem ſic alij fortes, alij boni viri, alij prudentes eſſe dicuntur.

# DE HONORE ET GLOria, tertio modo vtilitatis comparandæ.

## CAPVT V.

*Quinam eſt tertius modus vtilitatis ab hominibus conficiendæ?*

TErtius eſt HONOR, ſiue GLORIA: in qua ſpectanda duo ſunt: I. Generantes cauſæ: II Adiuuantes, vel modi conſtantis gloriæ comparandæ.

*Quæ ſunt igitur cauſæ generantes gloriæ?*

Summa & perfecta gloria conſtat ex tribus his: I. Si beneuolentia nos complectitur ac diligit multitudo. II. Si fidem habet. III. Si cum admiratione quadam honore nos dignos putat. [redacted]

*Quoniam de Beneuolentia, & de Fide prius dictum eſt: dic iam quibus rebus excitetur Admiratio?*

Admirantur homines. I. communiter omnia quæ magna, & præter opinionem ſuam animaduertunt. II. Separatim in ſingulis, ſi perſpiciunt nec opinata quidem

bona. Itaque eos ſuſpiciunt, in quibus, exiſtimant, ſe excellentes quaſdā, & ſingulares virtutes perſpicere: deſpiciunt autem eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil neruorum putant, laboris, induſtriæ, curæ: quique, vt dicitur, nec ſibi, nec alteri proſunt. NB

*Quibus virtutibus excellere oportet eos, qui admiratione velint affici?*

Inter virtutes. I. Temperantia requiritur, vt omni careant dedecore, iisq; vitiis, quibus alij non facilè poſſunt obſiſtere: vt voluptatum coërceant blanditias, quæ multorum animos à virtute detorquent. II. Fortitudo, qua dolorum faces, vitam, mortem, diuitias, paupertatem, in vtranq; partem excelſo animo deſpiciant: & ad res amplas & honeſtas totos ſe conuertant. III. Iuſtitia, ex qua vna virtute viri boni appellantur; maximeque admirantur cum, qui pecunia non mouetur.

*Quænam harum trium eſt potiſſima?*

Iuſtitia: vt pote quæ conficit omnia ea, quibus gloria comparatur: beneuolentiam, fidem, admirationem. Huius in omni

ratione

ratione atque inſtituto vitæ opinio neceſſaria eſt. I. Priuato ac ſolitario homini, niſi ſpeciem præ ſe viri boni ferat, & ſi iniuſtus habeatur, multæ inferentur iniuriæ. II His qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendiſque negotijs implicantur, iuſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt. Cuius tanta vis eſt vt ne malefici quidem, fures latroneſq; queant ſine vlla particula iuſtitiæ, & æquabili prædæ diſtributione viuere. III. Inter leges, & iudicia, & inſtituta Reipub. multò maxima iuſticiæ vis eſt. Vnde accidit, vt antiquitus ad ampliſſimos honores & ad dignitatem regiam delegerentur, quorum de iuſtitia magna eſſet opinio multitudinis.

## DE ADIVVANTIBVS cauſis, ac de modis Gloriæ conſtantis acquirendæ.

### CAPVT VI.

*Eſtné verò ſatis ad obtinendam gloriam, iuſtitiæ opinionem excitatam habere?*

NOn eſt ſatis hoc: ſed quemadmodum pecuniæ quærendæ non ſolùm ratio eſt, verùm etiam collocandæ, quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet: ſic gloria & quærenda, & collocanda ratione eſt.

*Sed qua ratione ſic poſſumus collocare gloriam?*

Socrates hanc viam ad gloriam proximam & quaſi compendiariam dicebat eſſe, Si quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet. Itaq; inani oſtentatione nemo ſtabilem conſequitur gloriam: quòd omnia ficta celeriter tanquam floſculi decidant: ſed qui veram iuſticiæ gloriam volet, iuſticiæ vt fungatur officijs oportet.

*Vt autem ſimus ij, qui velimus haberi, quomodo efficiemus.*

Non eadem eſt in hoc omnium ratio. 1. Quidã enim claris parentibus prognati ſunt, qui ab incunte ætate habent cauſam celebritatis & nominis, aut à patre acceptam, aut aliquo caſu atque fortuna comparatam. His virtute tantum conſeruanda gloria eſt: eò quòd in clariſſima quaſi luce verſantur, ita vt nullum obſcurum poſſit nec dictum eorum eſſe, nec factum.
2. Quidam verò ſunt obſcuro loco nati,

quorum prima ætas propter humilitatem in hominum ignoratione verſatur. Atque hi ſimulac iuuenes eſſe cœperunt, magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudijs debent contendere.

*Quibuſnam ergò ſtudiorum generibus ab ineunte ætate ſic acquiritur gloria?*

Studiorum genera, quibus ſolida comparatur gloria, duo ſunt: & alia quidem corporis: alia verò animi.

*Cuiuſmodi ſunt ſtudia corporis?*

Prima hæc olim erat adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt, equitando: iaculando, omniq; militari labore tolerando.

*Qualibus animi ſtudijs ſolida comparatur gloria?*

Quemadmodum in alijs rebus multò maiora ſunt opera animi quàm corporis: ſic hæ res, quas perſequimur ingenio, gratiores ſunt, quàm illæ quas viribus. Conſiſtunt autem illa tribus in rebus: I. Moribus. II. Conuictu. III. Oratione.

*Quid de moribus eſt tenendum?*

Inter animi ſtudia, prima eſt adoleſcentiæ commendatio, quæ, proficiſcitur à virtute probatisq; moribus: vt modeſtia vi-

tæ ,pietate in parentes , & in ſuos beneuo-entia.

*Quid de conuictu?*

Facillimè & in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes,qui ſe ad claros & ſapientes viros contulerunt: quibus cum ſi frequentes ſunt: opinionem afferunt populo,eorum fore ſe ſimiles, quos ſibi ipſi delegerunt ad imitandum.

*Quid de oratione ſciendum eſt?*

In oratione & eloquentiæ ſtudio qui exercentur adoleſcentes,facilem ſibi viam præparant ad laudem,honorem,gloriam. Quemadmodum Romani adoleſcentes ſolebant ex accuſatione aliqua nobili & glorioſa,induſtriæ laudem comparare.

*Quotuplex eſt illa orationis ratio?*

Duplex: quarum in altera eſt Sermo, id eſt, remiſſior quædam oratio: in altera forenſis Contentio , in qua potiſſima vis eſt eloquentiæ.

*Vtra verò vim maiorem habet ad parandam gloriam?*

Non eſt id quidem dubiũ, quin contentio orationis plurimum poſſit,& maiorem vim habeat ad gloriam , quam ſæpe vniuerſam ſimul excitat: Sed tamen difficilè

dictu eſt, quantopere conciliet animos hominum, comitas aſtabilitasque ſermonis. Si verò ineſt in oratione mixta modeſtiæ grauitas: nihil admirabilius fieri poteſt: eoque magis, ſi ea ſunt in adoleſcente.

*Quid verò forenſis illa, & contentioſa oratio, habetné ſemper eandem vim?*

Non: ſed cùm ſint plura cauſarum genera, quæ eloquentiam deſiderant: vt I. Laudationes in concione: II. Deliberationes in ſenatu: III. Iuris defenſio in iudicijs: maxima eſt eloquentiæ admiratio in iudicijs.

*Quotuplex eſt iterum ratio iudiciorum?*

Duplex: Vna quæ in accuſatione, & altera quæ in defenſione conſiſtit, quarum vtraque ſua habet officia.

*Quæ ſunt igitur in accuſatione ſeruanda?*

Quatuor potiſſimùm: I. Semel tantùm, aut non ſæpe eſt accuſandum. II. Tùm demum accuſandum eſt, cùm aut fides patrocinij, aut Reipub. id vtilitas poſtulat: III. Modus in accuſando ſeruandus: quia



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (Saale)

periculoſum pariter & ſordidum, accuſatorem nominari. IIII. Nemo innocens iudicio capitis arceſſendus: id quod ſine ſcelere nullo pacto fieri poteſt.

*In defenſione quæ ſunt obſeruanda?*

Non eſt habendum religioni, nocentem aliquando, & nefarium, impiumque defendere. Iudicis enim eſt, ſemper in cauſis verum ſequi: patroni, nonnunquã veri ſimile, etiamſi minùs ſit verum, defendere.

*Quæ verò ratio inter haſce duas ad parandam gloriam eſt accommodatior?*

Laudabilior quidem eſt defenſio: ſed tamen etiam accuſatio perſæpe probatur. Maximè autem & gloria paritur & gratia defenſionibus: eoque maior, ſi quando accidit: vt ei ſubveniatur, qui potentis alicuius opibus circumueniri vrgerique videatur.

## DE BENEFICENTIA, quarto modo conciliandæ vtilitatis: & primùm de Pecuniaria benignitate, ſiue Largitione.

CAPVT VII.

*Quis eſt quartus modus vtilitatis comparandæ?*

QVartus eſt BENEFICENTIA, ſiue Liberalitas: ſub qua quatuor illa ſuperiora, Expectatio commodi Metus opum, Largitio, atque Merces quaſi ſub toto continentur.

*Quænam ſunt in hac parte conſideranda?*

Duo potiſſimùm: I. Diuiſio. II. Præcepta.

*Quotuplex eſt igitur Beneficentia?*

Duplex: aut enim Pecunia benignè fit indigentibus, quæ ratio dicitur Largitio: aut Opera, quæ ratio Beneficentiæ nomen retinet.

*Vtra verò harum eſt præſtantior?*

Facilior quidem eſt prior, locupleti præſertim: ſed altera lautior ac ſplendidior, & viro forti claroq; dignior. I. Quòd altera ex arca, altera ex virtute depromitur. II. Quòd largitio fontem benignitatis exhaurit: quæ verò fit opera beneficentia, & adiutoribus creſcit, & benefaciendi conſuetudine. III. Quòd largitio-

ne

ne etiam corruptela committitur: ſit enim deterior qui accipit, atque ad idem ſemper expectandum paratior.

*Nuſquámne igitur Largitione vtendum eſt?*

Imò verò nonnunquam eſt largiendum: neque hoc benignitatis genus omninò repudiandum. Verùm in eo duo ſunt obſeruanda præcepta: Primum, Idoneis hominibus indigentibus de re familiari eſt impertiendum.

*Quod eſt alterum?*

Diligenter hoc faciendum eſt, & moderatè, has ob cauſas: I. Vt ne patrimonium effundatur inconſultè largiendo. II. Vt ne largitionem rapinæ ſequantur. III. Vt ne maiora exiſtant odia eorum, quibus adempta res eſt: quàm eorum ſtudia, quibus data.

*Quomodo verò modus ille cognoſcitur.*

Modus ad facultatum quantitatem eſt referendus. Neque enim ita claudenda eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit: neque ita reſeranda, vt pateat omnibus: omninoq; cogitandum id, quod prouerbio dicitur, Largitionem fundum non habere.

## DE DVOBVS LARGItionum generibus, Prodigalitate ſiue Magnificentia, & liberalitate.

### CAPVT VIII.

*Quotnam ſunt Largorum genera?*

DVo: alteri enim Prodigi ſunt: alteri Liberales.

*Quinam nominantur Prodigi?*

Qui epulis & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam omninò ſint relicturi.

*Qui Liberales?*

Qui ſuis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt: aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum cauſa: aut in filiarum collocatione adiuuant: aut opitulantur vel in re quærenda, vel augenda.

*Vtra verò ratio melior eſt iudicanda?*

Splendida quidem eſt Magnificentia illa, & apparatio popularium munerum: ſed

Libera-

Liberalitatis fructus multò & maior, & certior exiſtit: I. Quòd illa pecuniarum effuſio tantum fit, vt multitudo deliniatur, non vt neceſſitati ſubueniatur. II. Quòd ipſa illa delinitio multitudinis ad breue tantum tempus durat, eiuſque cum ſatietate memoria moritur voluptatis. III. Quòd pueris, & mulierculis, & ſeruis, & ſeruorum ſimillimis ea res grata accidit: graui verò homini, & ea quæ fiunt iudicio certo ponderanti, probari nullo modo poteſt.

*Nunquamne igitur Magnificentia tali vtendum eſt?*

Non deſunt ſanè exempla cùm eorum quibus honori fuit magnificentia: tùm eorum quibus eius prętermiſſio repulſam attulit. Vitanda enim omninò eſt viro magno avaritiæ ſuſpicio.

*Quæ ſunt igitur præcepta de hac magnificentia tenenda?*

Sex præcipuè: primum, Si poſtulatur à populo, bonis viris licet non deſiderantibus, attamen approbantibus, ita faciendum eſt.

*Quod ſecundum?*

Moderatio adiungenda eſt, & pro facultatibus largiendum.

*Quod tertium?*

Si aliqua res maior aut vtilior, populari largitione acquiritur: tùm ea maximè exercenda eſt.

*Quodnam quartum?*

Cauſa largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut vtile: in his autem ipſis mediocritatis regula optima eſt.

*Quod quintum?*

Illæ impenſæ meliores ſunt, quæ fiunt in muros, naualia, portus, aquarum ductus, omniaque quæ ad vſum Reipub. pertinent.

*Quod eſt ſextum?*

Tota ratio talium largitionum genere vitioſa eſt, temporibus neceſſaria: & tamen ipſa & ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda eſt.

*Quæ iam de altero largiendi genere quòd liberalitate proficiſcitur, præcepta ſunt ſcienda?*

Sex eius itidem ſunt obſeruanda præcepta : primum, Non vno modo in diſparibus cauſis vir liberalis affectus eſſe debet. Alia enim cauſa eſt eius qui calamitate premitur: alia verò eius, qui res meliores quęrit, nullis ſuis rebus aduerſis. Propenſior igitur benignitas eſſe debebit in calamitoſos : niſi forte erunt digni calamitate. In ijs tamen qui ſe adiuuari volunt, non ſolùm vt ne affligantur, ſed etiam vt ad altiorem gradum aſcendant, reſtricti omninò nullo modo eſſe debemus.

*Quod eſt ſecundum præceptum?*

In diligendis idoneis iudicium & diligentiam debet adhibere liberalis. Nam, vt Ennius ait, Benefacta malè locata, malefacta putantur: quod autem tributum eſt bono viro & grato : in eo cùm ex ipſo fructus exiſtit gratiæ: tùm etiam ex cæteris, qui in cuiuſque ſummi viri bonitate perfugium ſperant.

*Quodnam tertium?*

Danda opera eſt, vt his beneficijs quàmplurimos afficiamus, quorum memoria liberis poſterisque prodatur, vt his ingratis eſſe non liceat.

*Quod quartum?*

Conuenit tùm in dando munificum eſſe, tùm in exigendo non acerbum. In omniq; re contrahēda, in vendendo, emendo, conducendo, locando, in vicinitatibus & confinijs æquum, & facilem, multa multis de iure ſuo cedentem: à litibus verò quantum liceat abhorrentem.

*Quod quintum?*

Habenda eſt ratio rei familiaris: quàm quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt: ſed ita vt illiberalitatis auaritiæque abſit ſuſpicio.

*Quod eſt ſextum præceptum?*

Exercenda eſt etiam hoſpitalitas. Eſt enim valdè decorum, patére domos hominum illuſtrium illuſtribus perſonis. Deinde Reip. eſt ornamento. Tùm etiam eſt vehementer vtile, per hoſpites apud externos populos valere opib. & gratia.

## DE OPERARIA BENEficentia; primum priuata.

### CAPVT IX.

Quid

*Quid illa quæ in opere conſiſtit beneſicentia, quamnam vim aut varietatem habet?*

QVæ opera, non largitione perficitur beneficentia, duplex eſt: Vna Priuata, eorum quæ in ſingulos ciues conferuntur beneficiorum: Altera Publica, eorum quæ in totam proficiſcuntur Rempub.

*Quibus modis priuatim beneſacere poſſumus ſingulis?*

Tribus modis: quorum primus conſiſtit in conſulendo, vt Iuris prudentia, nam in iure cauere, conſilio iuuare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quam plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam aſtringendam.

*Quis eſt ſecundus modus?*

Secundus verſatur in defendendo, nam iuris cognitioni atq; interpretationi finitima, & gratior, & ornatior eſt ipſa Eloquentia: ſeu dicendi grauior facultas: qua nihil laudabilius, & præſtabilius eſt vel admiratione audientium, vel ſpe indigentium, vel eorum qui defenſi ſunt gratia.

*Qui tertius*

Tam etſi non omnes poſſumus, aut ne:

multi quidem Iuriſperiti eſſe, aut eloquẽtes: tamen prodeſſe multis poſſumus operam noſtram accommodando: vt I. Beneficia pro altero petendo: II. Commendando iudicibus, aut magiſtratibus: III. Vigilando pro re alterius. IIII. Eos ipſos, qui aut iure conſulunt, aut defendunt eloquentia ſua, rogando. Quæ qui faciunt, plurimum gratiæ conſequuntur.

*Quænam præcepta hac benignitate ſunt obſeruanda?*

Quatuor præcipuè: primum, Animaduertendum eſt beneficis, cùm iuuare alios velint, ne quos offendant. Quod ſi omninò vitari non poteſt: vtendum eſt excuſatione aduerſus eos, quos inuitus offendas, quacunq; poſſis: I. Quare id quod feceris, neceſſe fuerit, nec aliter facere potueris: II. Certis operis & officijs erit id quod violatum eſt, compenſandum.

*Quod eſt ſecundum præceptum?*

In beneficijs collocandis mores hominum, non fortunam ſequi oportet: nec gratiam fortunati & potentis, cauſæ inopis & optimi viri anteponere.

*Annon autem meliùs apud eum colloca-tur beneficium, à quo expeditior eſt renumeratio?*

Minimè verò: I. Nimirum enim inops ille, ſi bonus eſt vir, etiamſi referre gratiam non poteſt, quemadmodum opulentus: quia tamen eſt beneuolus, habere certè poteſt. II. Qui ſe locupletes, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: quin verò dediſſe beneficium arbitrãtur, quod aliquid acceperint: atque etiam à ſe expectari maius aliquid ſuſpicantur: patrocinium autem aut clientis nomen oderunt ac reſpuunt: at verò tenuis, cùm ſeſe ſpectatum, non fortunam putat, non modo illi qui eſt meritus, ſed etiam illis à quibus expectat, gratum ſe videri ſtudet. III. Diues verbis non auget ſuum munus, vt tenuis, ſed etiam extenuat. IIII. Si fortunatum adiuueris: in vno illo, aut fortè in liberis eius manet gratia: ſin autem inopem atque probum: omnes non improbi humiles præſidium ſibi paratum vident.

*Quodnam eſt tertium præceptum?*

Dãda omninò opera eſt, vt omni generi hominum, tam pauperum, quàm opulentorum

rum benefaciendo ſatisfacere poſſimus. Sed ſi res in contentionem venerit: meliùs erit apud bonos, quàm apud fortunatos beneficium collocari.

*Nuſquam igitur diues ac potens eſt iuuandus?*

Quod ſi vir bonus erit is, qui diues atq; potens eſt: ne impediant diuitiæ, quominùs iuuetur, modo ne adiuuent: ſitque omne iudicium, non quàm locuples, ſed qualis quiſque ſit.

*Quod eſt quartum?*

Extremum præceptum in beneficijs, operaque danda eſt, Ne quid contra æquitatem contendas, ne quid pro iniuria. Fundamentum enim perpetuæ famæ eſt iuſtitia: ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.

## DE PVBLICA BENEficentia operaria.

### CAPVT X.

*Reſtat, vt opinor, publica beneficentia, quotuplex ea eſt?*

DVplex: Beneficiorum enim quæ ad Rempub. pertinent, quædam eiuſmodi

dii ſunt, vt ad vniuerſos ciues pertineant: quædam ſingulos vt attingant, quæ ſunt etiam gratiora.

*Quot ſunt præcepta de hoc benignitatis genere tenenda?*

Octo: primum, Opera danda eſt omninò, vt vniuerſis pariter, atq; ſingulis conſulatur ciuibus: ſed ita, vt ea res aut proſit, aut certè non obſit Reipublicæ.

*Quod eſt ſecundum præceptum?*

In primis videndum eſt, ei qui Rempub. adminiſtrabit, vt ſuum quiſque teneat: neq; de bonis priuatorum publicè diminutio fiat. Id enim eſt proprium ciuitatis atq; vrbis, vt ſit libera & non ſollicita ſuæ rei cuiuſque cuſtodia.

*Quodnam eſt præceptum tertium?*

Danda etiam opera eſt, ne propter ærarij tenuitatem, aſſiduitatemq; bellorum tributum ſit conferendum. Idq; ne eueniat multò antè erit prouidendum.

*Sed quomodo poteſt magiſtratus neceßitatem omnem proſpicere, aut ei ſemper occurrere?*

Si qua neceſſitas huius muneris alicui Reipub. obuenerit: danda erit opera, vt omnes.

mnes intelligant, ſi ſalui eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum.

*Quod eſt quartum?*

Omnes qui Rempub. gubernabunt, conſulere debebunt, vt earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ.

*Quod quintum?*

Caput eſt in omni procuratione negotij & muneris publici, vt auaritiæ pellatur etiam minima ſuſpitio. Nullum enim eſt vitium tetrius: quàm auaritia in principibus: nulla verò reconciliare faciliùs beneuolentiam multitudinis poſſunt ij, qui Reipub. præſunt, quàm abſtinentia & continentia.

*Quod ſextum?*

Prouidendum eſt, ne ſit æs alienum quod Reipub. noceat, ſic, vt creditores ſuum perdant, debitores lucrentur alienum Nec enim vlla res vehementiùs Rempub. continet, quàm fides: quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum.

*Quodnam ſeptimum?*

Ab eo largitionis genere, vt alijs detur, alijs auferatur, abeſſe debent ij qui Remp. tuebuntur, inprimisq; operā dare, vt iuris & iudiciorū æquitate ſuum quiſq; teneat.

*Quod*

*Quod eſt octauum præceptum?*

Quibuſcumque rebus vel bello, vel domi poterunt gubernatores, vt imperio, agris, vectigalibus &c. Rempub. augebunt.

## DE VALETVDINIS, & Pecuniæ cura.

### CAPVT XI.

*Nihilné verò de vtilitatum præceptis reliquum eſt?*

Reliqua ſunt adhuc duo, facilia quidem, ſed admodum vtilia: Valetudinis nimirum curatio: & Pecuniæ.

*Quomodo valetudo rectè curatur?*

Valetudo hiſce quatuor rationibus ferè ſuſtentatur: I. Notitia ſui corporis: & obſeruatione, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe. II. Continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi cauſa. III. Voluptatibus prætermittendis. IIII. Arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent: id eſt, Medicorum.

*Pecunia verò quomodo eſt curanda?*

Pecunia vel res familiaris, I. Quæri debet honeſtis rationibus, & ijs artibus, à qui-

à quibus abeſt turpitudo. II. Conſeruari diligentia & parſimonia. III. Augeri iiſdem rationibus.

# DE VTILITATVM Comparatione.

## CAPVT XII.

*Quomodo iam vtilitatum inter ſe ſit comparatio?*

DVo ſunt bonorum genera, quæ ad vtilitatis rationem pertinent: alia quidem Corporis: alia vero Fortunæ, vel externa. Atq; hæc inter ſe quatuor modis componuntur. I. Corporis commoda cum externis. II. Externa cum corporis. III. Ipſa inter ſe corporis. IIII. Externa cum Externis. Quorum ratio in exemplis cernitur maximè.

*Da igitur exemplum primi modi?*

Cum externis bonis, corporis bona hoc modo comparantur: vt cùm proſpera quis vti valetudine malit, quàm diues eſſe.

*Da ſecundi?*

Cum corporis externa hoc pacto conferuntur: vt Si quis diues eſſe potiùs velit, quàm maximis corporis viribus.

*Da tertij?*

Ipſa inter ſe corporis commoda comparantur ſic: vt ſi bona valetudo voluptati anteponatur, aut vires celeritati.

*Da quarti?*

Externorum inter ſe fit collatio: vt ſi gloria præponatur diuitijs: vectigalia vrbana ruſticis.

*At cùm de Vtilitate propoſitum eſſet agere, de pecunia quærenda, collocanda, atq; etiam vtenda, præcepta expectabam?*

Commodiùs ea de re tota à quibuſdam optimis viris in foro & negotijs verſantibus, quàm ab vllis Philoſophis vlla in ſchola diſputatur.

Finis ſecundi libri.

# IN M. T. CICERONIS OFFICIORVM LIBRVM III.

## EROTEMATA.

## DE HONESTATIS & vtilitatis comparatione.

### CAPVT I.

*Quid agit author in hoc tertio libro?*

AGit de Honeſtorum, & Vtilium comparatione: vt, ſi quando inter duo hæc aliqua incidat contentio, vtrum vtri præferendum ſit, intelligamus.

*Quæ ſunt igitur præcipua in hoc libro capita obſeruanda?*

Duo: I. Quæſtio, an ſit aliqua contentio inter honeſtum & vtile. II. Præcepta de contentione illa rectè dirimenda.

*Eſtné*

*Eſtné igitur talis inter hæc duo contentio, vt Vtilitas cum Honeſtate pugnet?*

Secundũ Philoſophos quidem nulla eſt: ſed vel honeſtum ſolùm bonũ eſt, vt Stoicis placet: vel quod honeſtum eſt, ita ſummũ bonum eſt, quemadmodum Peripateticis videtur, vt omnia ex altera parte collocata, vix minimi momenti inſtar ſe habeant. Itaque hoc ferè Stoicorum obtinet, vt, Quicquid honeſtum ſit, id vtile cenſeatur: nec vtile quicquam, quod non honeſtum.

*Cur igitur eorum introducitur comparatio?*

Quia non omne honeſtum tale eſt, quemadmodum à Philoſophis conſideratur: ſed aliud quidem perfectum atque abſolutum, quod propriè vereq́; dicitur honeſtum: & in ſapientibus eſt ſolis, neque à virtute diuelli vnquam poteſt. Aliud verò commune, ſeu populare, quod ſimilitudinem honeſti habet, in ijs, in quibus ſapientia perfecta non eſt. Quales ſunt illi, qui boni viri nominantur, vtut vulgo perfecti videantur. Atque de hoc honeſtorum genere ſecundo, ac de officijs medijs ſeu communibus in his libris diſſeritur,, quæ ingenij bonitate multi aſſequuntur, &

pro-

& progreſſione diſcendi: cùm illud alterum perfectum & omnibus numeris abſolutum hac in vita inuenire non facilè ſit.

*Vtrum autem horum vtilitati poſtponendum eſt?*

Neutrum ſanè: nec enim id quod verè honeſtum eſt, fas eſt cum vtilis repugnantia comparari: nec id quod communiter appellamus honeſtum, quodque colitur ab ijs, qui bonos ſe viros haberi volunt. cum emolumentis vnquam eſt comparandum. Etenim non modò pluris putare, quod vtile videatur, quàm illud honeſtum, ſed hæc etiam inter ſe comparare, & in his dubitare turpiſſimum eſt.

*Quid eſt ergò, quòd illorum comparatio videatur conſideranda?*

Nimirum quòd hoc honeſtum nonnunquam obſcurum eſt, & dubitatio accidit, quale ſit id quod conſideratur. Sæpe enim tempore fit, vt quod plerunque turpe haberi ſoleat, inueniatur non eſſe turpe. Exempli cauſa: Magnum ſcelus eſt, non modò hominem, ſed etiam familiarem occidere: at ſi quis tyrannum occiderit, quamuis familiarem, Romanis non modò non ſceleratum, ſed etiam ex omnibus præclaris

ris facinoribus pulcherrimum fuiſſet exiſtimatum. Vicit igitur vtilitas honeſtatem: imò verò honeſtas vtilitatem ſecuta eſt.

# DE PRAECEPTIS comparandæ honeſtatis cum vtilitate: primum generalibus.

## CAPVT II.

*Quæ iam præcepta tenenda ſunt, quibus eiuſmodi dubitationem ſine errore diiudicare poſſumus?*

PRæcepta, vel regulæ hîc traduntur duplices: aliæ quidem generales: aliæ verò ſpeciales.

*Quæ generales?*

Generalis formula, quam in hac comparatione rerum tutò ſequemur, vna hæc eſt: Secundùm naturam viuendum eſt: & animi bona malaq; grauiora iudicāda, quàm corporis, aut fortunæ. Atq; idcircò, bonum quodque animi coniunctum cum malis corporis & fortunæ, præferendum animi malo, cum quibuſuis corporis aut fortunæ commodis coniuncto.

*Cupio mihi hanc regulam amplius declarari?*

Exemplum petamus: I. A iuſtitia: nempe multò magis eſt ſecundùm naturam Iuſticia, & Liberalitas: quàm voluptas, quàm vita, quàm diuitiæ, at verò detrahere quid alteri, aut illius incommodo ſuum augere commodum: magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. II. A fortitudine: nam & animi magnitudinem exercere, & pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſeruandis aut iuuandis, maximos labores moleſtiasq́; ſuſcipere, magis eſt ſecundùm naturam: quàm viuere in ſolitudine, non modò ſine vllis moleſtijs, ſed etiam in maximis voluptatibus abundantē omnibus copijs: vt excellas etiam pulchritudine & viribus. Ex quibus efficitur, hominē naturæ obedientē, homini nocere non poſſe.

*Quibus verò de cauſis talis iniuria fugienda eſt?*

Cauſæ potiſſimùm duæ ſunt: Prima, quia tollit conuictum humanum & ſocietatem. Vt enim ſi vnum quodq; membrū ſenſum hunc haberet, vt poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet,

duxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet: ſic ſi vnus quiſq; noſtrum ſic erit affectus, vt propter ſuum emolumentum rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatq; quod cuiq; poſſit, emolumenti ſui gratia: ſocietas hominum & communitas, quę maximè ſecundùm naturam eſt, euertatur neceſſe eſt.

*Annon igitur conceſſum eſt, vt ſibi quiſque malit, quod ad vſum vitæ pertineat, quàm alteri acquirere?*

Conceſſum eſt hoc quidem, non repugnante natura. Sed tamen illud natura non patitur, vt aliorum ſpolijs noſtras facultates, copias, opes augeamus.

*Quænam eſt altera cauſa?*

Non hoc ſolùm natura, id eſt, iure gentium ſed & legibus populorum ſeu ciuilibus eodem modo conſtitutum eſt, vt non liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. Hoc enim ſpectāt leges, hoc volunt: in columem eſſe ciuium coniunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. Atque hoc multò magis exigit. [illegible] naturæ ratio, quæ eſt lex diuina & humana: vt nimirum eadem ſit

utilitas, vniuſcuiuſque & vniuerſorum: atque hoc etiam præſcribit, vt homo homini quicunq; ſit, eam ipſam ob cauſam, quòd is homo ſit, conſultum velit.

*Atqui erga proximos agnatos fortaſſe, non alienos: aut ſi erga ciues quoq;, non tamen peregrinos hæc cauebitur iniuria?*

Qui dicunt, parenti ſe, aut fratri nihil detracturos commodi ſui cauſa, ſed aliam eſſe rationem ciuium reliquorum: hi ſibi nihil iuris, & nullam ſocietatem communis vtilitatis cauſa ſtatuunt eſſe cum ciuibus: quæ ſententia omnem ſocietatem diſtrahit ciuitatis. Qui autem & ciuium rationem ducunt eſſe habendam, externorum negant: hi dirimunt communem humani generis ſocietatem, qua ſublata: beneficentia, liberalitas, bonitas, iuſtitia funditus tollitur, quæ qui tollunt: etiam aduerſus deos immortales impij iudicandi ſunt: ab his enim conſtitutam inter homines ſocietatem euertunt.

*Nonne igitur vir ſapiens, ſi fame ipſe conficiatur, auferre cibum audebit alteri homini ad nullā rem vtili?*

Si quid tali detraxerit, vtilitatis ſuæ cauſa: inhumanè contraque naturæ legem fecerit. Non enim eſt magis contra naturam morbus, aut egeſtas, aut quid eiuſmodi: quàm detractio atque appetitio alieni. Sin autē hoc fecerit ob vtilitatem Reipub. atq; hominum ſocietatem, cui plus ſeruire ſapiens, fortisque vir, ſi in vita remaneat, poteſt: ſi quid ob eam cauſam homini inerti atque invtili detraxerit: non ſit reprehendendum, idque Lex ipſa naturæ decernit, quæ vtilitatem communem hominum conſeruat, & continet.

*Quid ſi crudelem tyrannum & immanem, qualis fuit Phalaris, vir bonus, ne ipſe frigore conficiatur, veſtitu ſpoliare poßit, nonne faciat?*

Quidni faciat! Primum enim nulla nobis cum tyrannis ſocietas eſt, ſed potiùs ſumma diſtractio. Deinde cum honeſtum ſit necare tyrannum: non eſt contra naturam, eum veſtitu, ſi poſſis, ſpoliare. Tum etiam quia peſtiferum eſt & impium hoc hominum genus: ex hominum communitate exterminandū eſt. Etenim vt membra quædam amputantur, ſi & ipſa ſangui-

ne, & tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: ſic iſta in figura hominis feritas & immanitas beluę, à communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt.

# DE SPECIALIBVS præceptis comparandæ vtilitatis cum Prudentia & Iuſticia diſtributiua, in priuata vita.

## CAPVT III.

### *Quæ iam traduntur ſpecialia præcepta comparandæ Honeſtatis cum vtilitate?*

SPecialia vocamus ea, quę de ſingulis ſpeciebus honeſtatis cum vtilitate commiſſis præcipiuntur. Eſt autem in vniuerſum tripartita illa comparatio: I. In qua Prudentia & Iuſtitia coniunctim cum vtilitate comparantur, II. Fortitudo ſeparatim. III. Temperantia cum eadem vtilitate committitur.

Cuiuſ-

*Cuiuſmodi ſunt illa de comparatione vtilitatis cum Prudentia & Iuſticia?*

Quadripartita ſunt hæc iterum: I. Et quædam ad priuatam ſingulorum vitam pertinent: II. Quædam ad amicitiam: III. Ad adminiſtrationem Reipub. quædam: IIII. Et quædam ad conrractus vitæque commercia.

*Quot ſunt eiuſmodi Regulæ in priuata vita obſeruandæ?*

Sex potiſſimùm. Prima hæc eſt: Nihil præter id quod honeſtum ſit, eſſe propter ſe expetendum: aut certe, quod honeſtũ ſit, id eſſe maximè propter ſe expetendum.

*Quæ eſt ſecunda regula?*

Quæcunq; vtilitatis ſpecies obiecta fuerit, ſi apertam turpitudinem habeat adiunctam res, quæ ſpeciem vtilitatis attulerit: tunc non vtilitas requirenda eſt: ſed intelligendum, vbi turpitudo ſit, ibi vtilitatem eſſe non poſſe.

*Quæ tertia?*

Sceleratum eſt, & impium, ſi quis deliberat, vtrum id ſequatur quod honeſtum eſſe videt: an propter ſpeciem vtilitatis ſe ſcientem ſcelere contaminet.

*Quæ quarta?*

Ex omni deliberatione celandi & occultandi ſpes, opinioque remouenda eſt.

*Quæ quinta?*

Videndum eſt, ne conturbetur animus vtilitatis ſpecie, non cùm hoc deliberetur, relinquendàne ſit honeſtas propter vtilitatis magnitudinem: ſed illud, poſſitné id, quod vtile videatur, fieri non turpiter.

*Quæ ſexta?*

Nec tamen noſtræ nobis vtilitates omittendæ ſunt, alijſque tradendæ, cum his ipſi egeamus: ſed ſuæ cuiq; vtilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſeruiendum eſt.

## DE OFFICIIS AMICItiæ, circa collationem vtilitatis cum Prudentia, & Iuſtitia.

### CAPVT IIII

*Quomodo iam erga amicos hac in comparatione rerum nos rectè geremus?*

MAximè perturbantur officia in amicis: quibus & non tribuere quod rectè poſſis,

ſis, & tribuere quod non ſit æquum, contra officium eſt.

*Quæ ſunt igitur de his obſeruandæ regulæ?*

Duæ præcipuè: Prima, Quæ videntur vtilia, honores, diuitiæ, voluptates, cæteraq; generis eiuſdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda ſunt: hoc eſt, Amicitia priuatis noſtris commodis & vtilitatibus eſt anteferenda.

*Quænam eſt altera regula?*

Nunquam tamen contra Rempub. aut contra iuſiurandum, ac fidem ſuam, amici cauſa, vir bonus facere debet.

*Quodſi quis in amici cauſa iudex conſtitutus fuerit, nonne quibus poteſt rationibus eum iuuabit?*

Deponit perſonam amici, qui iudicis perſonam induit, tantum igitur dabit amicitiæ, quantum honeſtè poteſt: vt veram amici cauſam eſſe malit: & vt perorandæ liti tempus, quoad per leges licet, accommodet. Cùm verò iurato dicenda ſententia ſit, meminerit Deum ſe adhibere teſtem. Præterea ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint: non amicitiæ tales, ſed coniurationes putandæ ſunt.

*Quæ eſt ergo ſumma huius præceptionis de amicitia?*

Cùm in amicitia id quod vtile videtur, cum eo quod honeſtum eſt comparatur: iaceat vtilitatis ſpecies, valeat honeſtas. Cùm autem, quæ honeſta non ſunt, poſtulabuntur: religio & fides anteponatur amicitiæ.

## DE OFFICIIS IN REIpublicæ adminiſtratione, circa collationem rerum ſeruandis.

### CAPVT V.

*Sempérne igitur ad vtilitatem publicam in hac rerum comparatione ſpectandum eſt.*

NOn ſanè, nam & vtilitatis ſpecie in Repub. ſæpiſſimè peccatur. Vt quod Corinthum Romani diſturbarunt: & quòd Athenienſes ſciuerunt, vt Aeginetis pollices præciderentur: & quòd Penæus atque Papius peregrinos vrbe prohibuerunt: vtile quidem videbatur publicè: ſed parum fuit honeſtum aut laudabile.

*An verò iniquum eſt, peregrinos non eodem iure cum ciuibus frui?*

Eſſe pro ciue, qui ciuis non ſit, rectum eſt non licere: vſu verò vrbis prohibere, & exterminare peregrinos, ſanè in humanum eſt.

*Quæ ſunt ergò hac de re tenenda præcepta?*

Duo maximè tenenda ſunt: quorum primum eſt: Nihil quod crudele ſit, vtile exiſtimandum: eſt enim hominum naturæ inimica crudelitas.

*Quod eſt alterum?*

Publicæ vtilitatis ſpecies præ honeſtate eſt contemnenda.

## DE OFFICIIS IN CONtractibus tenendis; circa collationem vtilitatis cum Prudentia, & commutatiua Iuſticia.

### CAPVT VI.

*Quot ſunt præcepta de contractibus obſeruanda?*

OCto potiſſimùm, Primum eſt: In contrahendis rebus cum hominibus, in emendo vendendoque &c. nihil vtilitatis noſtræ cauſa celandum eſt.

*Annon igitur mihi ſcire licet, & quod iure ciuili, & conſuetudine fiat, meum quàm optimè vendere?*

Si quid, quod tu ſcias, ignorare emolumenti tui cauſa velis eos, quorum interſit id ſcire: contra naturam feceris: cuius ea habes principia, quæ ſemper ſequi debes: vt vtilitas tua communis ſit vtilitas: viciſſimque communis vtilitas tua ſit.

*Quodſi hoc natura poſtulat, vt indicentur omnia, ne vendendum quidem quicquam eſt, ſed donandum?*

Poſtulat hoc vtique natura, vt humanæ ſocietati conſulatur: quod non facit is, qui celat emptorem, quid ei adſit commoditatis aut incommodi. Quod eſt plus, quàm erranti viam non monſtrare, emptorem pati ruere, & per errorem in maximã fraudem inducere. Quod certè non aperti, non ſimplicis eſt, non ingenui, nõ iuſti, non viri bo-

ri boni: ſed verſuti potiùs, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri.

*Quodnam eſt ſecundum huius generis præceptum?*

Qui in uendendo orationis vanitatem adhibent, & mentiendo decipiunt emptorem: multò etiam magis, quàm qui aliquid reticuerunt, ſunt vituperandi.

*Quod tertium?*

Ex omni vita, omnibus commercijs ſimulatio, & diſſimulatio tollenda eſt: itaq; nec vt emat meliùs, nec vt vendat, quicquã ſimulabit aut diſſimulabit vir bonus.

*Quod eſt quartum?*

Integritas ea quoq; in contrahendo retinenda eſt, vt non licitatorem venditor, nec qui contra ſe liceatur, emptor apponat: & vterque ſi ad eloquendum venerit, non plus quàm ſemel eloquatur.

*Num verò ſapienti non licet, ſibi quoque ſapere & prodeſſe.*

Sapientis quidem eſſe nonnulli putant, nihil contra mores, leges, inſtituta facientem, habere rationem rei familiaris, neq; enim ſolùm nobis nos diuites eſſe velle:

ſed liberis, propinquis, amicis, maximeq; Reipublicæ: quod ſingulorum facultates & copiæ diuitiæ ſint ciuitatis. Verùm error in eo eſt. I. Quod alios ſapientes vel iuſtos, alios bonos exiſtimant. II. Et quod aliquid prodeſſe ſtatuunt, quod vtile ſit tantùm, non item honeſtum. Nunquam eſt autem vtile peccare, quia ſemper eſt turpe: & quia ſemper eſt honeſtum, virum bonum eſſe, ſemper eſt vtille.

*Quod quintum?*

In vendendis rebus, etiam vitia indicari debent emptori, quæ venditor nouerit.

*Atqui ſtultum videtur, venditorem eius rei, quam vendat, vitia nararre?*

Imò verò iuſtum & legitimum eſt. Nam iure ciuili ſancitum eſt, vt in prædiorum, mancipiorumq; venditione, ſi quid damni per eiuſmodi reticentiam datum eſt, id emptori præſtet venditor. Tametſi verò non omnia ſint definita legibus: tamen quoniam iuris fons eſt natura, hoc ſecundùm naturam eſſe ratio docet: neminem id agere debere, vt ex alterius prædetur inſcitia.

*Quod eſt ſextùm?*

Aſtutiæ tollendæ ſunt è contractibus, eáque malitia, quæ vult videri ſe eſſe prudentiam, qua nulla pernicies vitæ maior inueniri poteſt: ex qua impunitate & ignoratione omnium propoſita, innumerabiles naſcuntur iniuriæ.

*Quod ſeptimum?*

Nihil omninò vir bonus vtilitatis ſuæ cauſa contra honeſtatem committere debet: nec ſi habeat hanc vim, vt ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletum teſtamenta nomen eius irrepere, hac vi vti: nec ſi exploratum quidem habeat, id omninò neminem vnquam ſuſpicaturum.

*Nihil igitur faciat vir bonus, quod vtile ſibi ſit, quodq́ expediat?*

Imò intelligat, nihil nec expedire, nec vtile eſſe, quod ſit iniuſtum, hoc qui non didicerit, bonus vir eſſe non poterit: cuius officium eſt, prodeſſe quibus poſſit, nocere nemini, niſi laceſſitum iniuria.

*Quod eſt octauum huiuſce generis præceptum?*

Vir bonus non modò facere, ſed ne cogitare

gitare quidem quicquam audebit, quod non audeat prædicare.

## DE QVAESTIONIBVS ſpecialibus, ad præcedentes regulas examinandis.

### CAPVT VII.

*Quid ſi magna ſit vtilitas propoſita, & id in quo violanda æquitas, non ita magnum: annon licet tum ab honeſtate aliquantulum recedere?*

OMnium vna eademque regula eſt: Aut illud quod vtile videtur, turpe ne ſit: aut ſi turpe eſt, ne eſſe vtile videatur.

*Ergo viros bonos non iudicabimus, aut vtiliter feciſſe duos illos Marios, qui collegarum violatione ampliſſ. honores adepti ſunt?*

Non equidem opinor. Non enim cadit in virum bonum mentiri emolumenti ſui cauſa, criminari, præripere, fallere. Quid eſt autem, quod afferre tantum vtilitas iſta, quæ dicitur, poſſit: quàm tùm auferre, ſi bon-

boni viri nomen eripuerit, fidē iuſtitiamq́; detraxerit? Quid intereſt, vtrum ex homine ſe conuertat quis in belluam: an in hominis figura immanitatem gerat belluæ?

*Quid illud, quod ad potentiam, & regnum conſequendum, ius violari poſſe, Euripides, & Iulius Cæſar ſtatuit?*

Quisquis cupiditatem hanc honeſtam ducit, præſertim in libera ciuitate: amens eſt. Probat enim legum & libertatis interitum, earumque oppreſſionem tetram & deteſtabilē, glorioſam putat. Nec verò poteſt cuiquam eſſe vtile fœdiſſimum & teterrimum parricidium patriæ. Honeſtate igitur dirigenda vtilitas eſt: & quidem ſic, vt hæc duo verba inter ſe diſcrepare, ſed tamen vnum ſonare videantur.

*Atqui ex opinione vulgi, nulla maior vtilitatas eſſe poteſt, quàm regnum?*

Imò verò, cùm ad veritatem reuocare rationem volumus, regno nihil invtilius eſſe reperiemus, ei, qui id iniuſtè conſecutus ſit. Poſſunt enim cuiquam eſſe vtiles angores, ſolicitudines, diurni & nocturni

metus.

metus, vita inſidiarum periculorumque pleniſſima? Quod ſi igitur hæc vtilia non ſunt, quæ maximè videntur: quia plena ſunt dedecoris ac turpitudinis: ſatis perſuaſum eſſe debet, nihil eſſe vtile, quod non honeſtum ſit.

*Quid ſi maxima incidat annonæ caritas; faciétne contra officium viri boni pater familiás, ſi rebus ſuis conſulens, familiam non alet vt antea?*

Imò verò facit: non enim vtilitate debet officium dirigi magis quàm humanitate, ideoque quos fideles habuit meliori tempore, ijs viciſſim fidelis eſſe debet in tempore difficili & acerbo.

*Quid ſi in mari iactura facienda ſit, equiné pretioſi potiùs iacturam faciat, an ſeruuli vilis?*

Nimirum eadem ratione humanitatis potiùs, quam rei familiaris vtilitatisque ratio erit habenda.

*Si tabulam de naufragio ſtultus arripuerit, qua enatet, extorquebit ne eam ſapiens ſi poterit?*

Non

Non faciet: quia ſit iniuſtum.

*Quid ſi dominus is ſit nauis, an non eripiet quod eſt ſuum?*

Non magis profectò, quàm ſi nauigantem in alto deijcere de naui velit, quia ſua ſit. Quoad enim peruentum ſit eò, quò conducta nauis eſt: non domini nauis, ſed nauigantium eſt.

*Quid ſi in vna tabula ſint duo naufragi, ſapientes: ſibiné vterque rapiat: an alter cedat alteri?*

Cedat verò: & ei quidem, cuius magis interſit, vel ſua vel Reipub. cauſa viuere: ſin hæc paria fuerint in vtroque: nullum erit certamen: ſed quaſi ſorte, aut dimicando victus, alteri cedat alter.

*Quid ſi pater fana expilet, aut cuniculos agat ad ærarium: indicétne id magiſtratibus filius?*

Nefas id quidem eſt ſi incidet: quin etiam defendat patrem, ſi arguatur.

Annon

*Annon igitur patria præſtat omnibus officijs?*

Imò verò: ſed ipſi patriæ conducit, pios habere ciues in parentes.

*Quid ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater: ſilebitné filius?*

Imò verò obſecrabit patrem, ne id faciat: ſi nihil proficiet, accuſabit, minabitur etiã: ad extremum ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit: patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris.

*Quid ſi ſapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis: cùm id reſcierit, ſoluturuſné eos eſt, ſicubi debeat, pro bonis?*

Non faciet.

*Si quis vinum fugiens vendat, ſciens, debetné dicere?*

Neceſſe ſanè eſt vt dicat, ſi quidem viri boni velit officio fungi.

*Si quis aurum vendens, orichalcum ſe putet vendere: indicetné ei vir bonus, aurum illud eſſe?*

Perſpicuum eſt, id indicaturum: & honeſtati ſeruientem, non empturum denario, quod ſit mille denarium.

## DE PACTIS, PROmiſſis, ac Depoſitis.

### CAPVT VIII.

*Iam de pactis & promiſſis, quid præter ſuperiora eſt tenendum?*

PActa nimirum ſeruanda ſunt, quæ nec vi, nec dolo malo facta ſunt: quatenus quidem adhuc honeſtè fiunt. Nam multa quæ natura honeſta videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta.

*Quid ſiquis medicamentum ægrotanti dederit, & pepigerit, vt ſanus factus, nunquam eo poſtea vteretur: at ille poſt aliquot annos in eundem morbum incidat, nec impetret, vt iterum eo liceat vti, quid faciendum eſt?*

In humanus vtiq; iudicabitur, qui non concedat vti, ex quo nulla ſibi fiat iniuria.

Itaque

Itaque alter vitæ & ſaluti ſuæ eodem medicamento rectè conſulet.

*Quid ſi quis ſapiens hæres ſcribatur, ſi priùs promiſerit, ſe luce palàm in foro ſaltaturum: faciátne quod promiſerit, necne?*

Rectiùs quidem non promiſiſſet: & id fuiſſet grauitatis. Sed quoniam promiſit, ſi ſaltare in foro turpe ducet: honeſtius mentietur, ſi ex hæreditate nihil ceperit, niſi fortè eam pecuniam in Reip. magnum aliquod tempus contulerit: vt vel ſaltare eum, cùm patriæ conſulturus ſit, turpe non ſit.

*Aliáne verò omnia promiſſa ſunt ſeruanda?*

Nec illa quoque promiſſa ſeruanda ſunt, quæ non ſunt his ipſis vtilia, quibus illa promiſeris. Cuiuſmodi ſunt quæ fabulis feruntur, vt quod Sol promiſit Phaetonti filio: & Neptunus Theſeo: & Agamemnon Dianæ. Tale promiſſum potiùs non faciendum, quàm tam tetrum facinus admittendum fuit.

*Quid depoſita, ſempérne illa reddenda ſunt?*

Non ſemper. Nam ſi gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens, reddere, peccatum eſt: non reddere, officium. Conſimiliter ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerat, bellum inferat patriæ: ſi reddas depoſitum facies contra Rempublicam, quæ debet eſſe cariſſima. Itaq; facere promiſſa, ſtare conuentis, reddere depoſita, honeſta ſunt quidem: ſed commutata vtilitate, fiunt non honeſta.

## DE VTILITATIS COMparatione cum Fortitudine.

### CAPVT IX.

*Quæ iam fortitudinis ratio eſt collatæ cum vtilitate?*

Eadem videlicet, quæ cæterarum honeſtatis partium. Nam ea quæ animo magno fortiq; fiunt pro Repub. quoniam honeſta ſunt, etiam vtilia ſunt iudicanda: è contra verò quæ timido animo, humili, demiſſo, fractoque committuntur: non vtilia: quia ſunt flagitioſa, fœda & turpia.

Quomo-

*Quomodo verò hoc probatur verum eſſe?*

Probatur id præter cætera duobus exemplis præſtantiſſimorum virorum euidentibus: quorum primum Vlyſſis eſt: quem inſimulant poetæ, ſimulatione primùm inſaniæ militiam Troianam ſubterfugere voluiſſe: poſteà verò re rectiùs cõſiderata, maluiſſe quotidianos labores & pericula ſubire peregrè, quàm domi tranquillè regnare, & Ithacæ viuere otioſè, cum parentibus, cum vxore, cum filio.

*Vllúmne verò decus in iſtis laboribus cum hac tranquillitate conferendum fuit?*

Certè contemnenda & abijcienda talis tranquillitas erat: quæ quoniam honeſta non erat, ne vtilis quidem fuit exiſtimanda. Et quid auditurum putamus fuiſſe Vlyſſem, ſi in illa ſimulatione perſeueraſſet: cui poſt maximas res in bello geſtas, probro tamen ab Aiace data adhuc illa ſimulatio fuit. Itaque illi non modò cum hoſtibus, verùm etiam cum fluctibus dimicare meliùs fuit, quàm deſerere conſentientem Græciam, ad bellum barbaris inferendum.

Quod

*Quod eſt alterum exemplum?*

Alterum eſt M. Attilij Reguli: qui cùm ex inſidijs captus eſſet à Carthaginenſib. & iuratus Romam miſſus ad ſenatum: vt niſi redditi eſſent Pœnis captiui nobiles quidam, rediret ipſe Carthaginem: non ſolùm diſuaſit, quod inutile iudicabat Reipub. ſed etiam ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſciens profectus eſt ſupplicia: cùm manere in patria potuiſſet, eſſe domi ſuæ cum vxore, cum liberis, & conſulatis dignitatis gradum obtinere.

*Atqui ſtultè feciſſe videtur, qui ſuæ vtilitati contradixit?*

Quomodo ſtultè? Qui primum, vtilitatis quidem ſpeciem vidit: ſed eam falſam iudicauit. Non enim poteſt, quod inutile Reipub. ſit, id vnquam ciui vtile eſſe. Deinde iuſiurandum putabat eſſe conſeruandum.

*Quid igitur, in iureiurando adeóne iratum Iouem timuit?*

In iureiurando non qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. Eſt enim iuſiurandum affirmatio religioſa. Quod autem affirmatiuè Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt.

*At enim ne iratus quidem Iupiter plus Regulo nocuiſſet, quàm ipſe ſibi nocuit?*

Certè ſi dolor ſummum malum eſſet, tum exiſtimandus eſſet Regulus, plurimum ſibi nocuiſſe. Sed quia non modò non ſummum malum, ſed nec malum quidē eſſe in dolore, maxima authoritate philoſophi affirmant: idemq́; hoc ſuo facto, & cruciatu volūtario atteſtatur Regulus. Idcircò non exiſtimādus eſt ipſe ſibi nocuiſſe.

*Atqui de duobus malis, quod minimum videtur, aiunt eligendum: annon igitur minus fuerat, iuſiurandum non ſeruare, quàm ad tam acerbum ſupplicium proficiſci?*

An poteſt vllum maius eſſe malum turpitudine? Quæ ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis: quanta illa deprauatio & fœditas turpificati animi debet videri? Itaq; Stoici ſolum audent malum dicere id quod turpe ſit: peripatetici non dubitant ſummum malum dicere.

*Quid, quòd Accio teſte, fides nulla videdetur, quæ infideli data eſt?*

Si admittatur, nullam eſſe fidem, quę infideli

deli data ſit: facilè quæretur latebra periurio. Eſt autem ius etiam bellicum, fidesq́; iuriſiurandi ſæpe hoſti ſeruanda. Quod enim ita iuratum eſt, vt mens conciperet fieri oportere, id ſeruandum eſt. Nec verò ſi prædonibus pacta iurataq́ue ſine fraude non præſtantur: idcircò & hoſti. Nam pirata non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium. Regulus verò non debuit conditiones pactionesq́; bellicas & hoſtiles peturbare periurio: cum iuſto enim & legitimo hoſte res gerebatur.

*Atqui non debuit eſſe ratum, quod erat actum cum Regulo per vim?*

Non fuiſſe per vim actum cum Regulo, patet, primum ex eo, quòd viro forti vis non poſſit adhiberi. Deinde quòd ad ſenatum profectus eſt: quodq́; author ſenatui, ne captiui redderentur. Id quia patriæ non vtile putauit: idcircò honeſtum ſibi & ſentire illa, & pati credidit.

*Atqui quod valdè vtile ſit, id aiunt honeſtum fieri?*

Imò verò eſt, ac non fit honeſtum quod valde eſt vtile. Eſt enim nihil vtile, quod idem non honeſtum: ne quia vtile, honeſtum eſt: ſed quia honeſtum, vtile.

# DE COMPARATIONE vtilitatis cum Temperantia.

## CAPVT X.

*Temperantia reſtat, vt opinor: quomodo cum hac confertur vtilitas?*

AD Temperantiam pertinet decorum, moderatio, modeſtia, continentia &c. quarum virtutum tali choro quod eſt contrarium, pro vera vtilitate non poteſt haberi. Contraria verò illis voluptas eſt: in qua quidam philoſophi ſummum bonum poſuerunt: virtutemque cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quod efficiens eſſet voluptatis. Contra quos demonſtrandum eſt, voluptatem minimè vtilem eſſe iudicandam.

*Quomodo verò illud demonſtrabitur?*

Quemadmodum antè oſtenſum eſt, vtilitatem nullam eſſe, quæ honeſtati eſſet contraria: ſic omnem voluptatem oſtendimus honeſtati, eiusque partibus ſingulis eſſe contrariam.

In

*In quo igitur pugnat voluptas cum Prudentia?*

Si Prudentiæ locus detur apud voluptatem: tum eius officium erit, vndique conquirere ſuauitates: adeoq́; virtutis famulari ac ſeruire voluptati. Quod ſi iucundum eſſet, nihil tamen turpius, nihil miſerius poſſet cogitari.

*Quomodo repugnat Fortitudini?*

Nempe Fortitudo eſt dolorum laborumq́ue contemptio. At qui voluptatem ſummum bonum, & dolorem ſummum malum ſtatuit, is dolores laboresq́; non contemnet. Apud talem igitur Fortitudo nullum locum inueniet.

*Quomodo Temperantiæ voluptas aduerſatur?*

Nimirum libidines ſunt conſectatrices voluptatis. Temperantia verò inimica eſt libidinum. Igitur & voluptatis eſt inimica.

*Quomodo Iuſticiæ eſt contraria?*

Iuſticia, cum cognatis virtutibus, bonitate, liberalitate, comitate, amicitia &c. in ſocietate generis humani occupantur, & ad communem vtilitatem referuntur. Voluptas non ad communem vtilitatem, ſed

propriam refertur. Nulla igitur ratione ei conuenit cum Iuſtitia.

*Quid verò de illis tandem ſentiendum eſt, qui cum honeſtate coniunctam voluptatem ſummum bonum faciunt?*

Id opinor, ac ſi cum homine pecudem vellent copulare. Non enim recipit iſtam coniunctionem honeſtas, aſpernatur, repellit. Præterea verò finis bonorum & malorum, qui ſimplex eſſe debet, ex diſſimilibus rebus miſceri & temperari non poteſt.

*Nihilne igitur omnino voluptas confert ad felicitatem?*

Quamcunque ſpeciem vtilitatis etiam voluptas habere dicatur: nulla poteſt eſſe ei cum honeſtate coniunctio. Vt autem planè tribuamus aliquid voluptati: condimenti fortaſſe nonnihil, vtilitatis certè nihil habebit.

FINIS OFFICIORVM.

# IN M. T. CICERONIS DIALOGVM DE SENECTVTE EROTEMATA.

## DE ARGVMENTO Dialogi, & de cauſis, per quas grauis aut tolerabilis ſit ſenectus.

### CAPVT I.

*Qua de re agit Cicero in hoc Dialogo?*

AGIT de Senectutis conſolatione: ſed ita, non ſolùm ſenibus vt oſtendat, quibus facilimè rationibus ingraueſcentem ætatem ferre poſſint: ſed etiam adoleſcentes informet, quemadmodum maturè vitam inſtituere debeant, vt tolerabilem aliquando ac placidam ſenectutem traducant.

*Quæ ſunt igitur partes in hoc opere obſeruandæ?*

Duæ præcipuè: quarum in priori cauſæ examinantur, quæ vel grauem reddant ſenectutem, vel tolerabilem. In altera refutantur obiectiones quædam de huius ætatis grauaminibus.

*Eſtné verò aliquibus grauis ſenectus, omnes quam vt adipiſcantur, optant?*

Imò verò plerisque ſenibus ita grauis & odioſa ſenectus eſt, vt onus ſe Aetna grauius dicant ſuſtinere. Reperiuntur tamen non pauci quoque, quorum ſine querela ſenectus eſt.

*Quibus igitur illi de moleſtijs ſenectutis conqueruntur?*

I. Obrepere aiunt eam citiùs quàm putaſſent. II. Nihil opis contra eius neceſſitatem dicunt inueniri. III. Deplorant, quòd voluptatibus careant. IIII. Quod ſpernantur ab ijs, à quibus ſint coli ſoliti.

*Quæ ſunt autem cauſæ harum querelarum?*

Omnium iſtiuſmodi querelarum non in ætate, ſed ipſorum vita moribusq; culpa

pa eſt. Nam I. Stultitiæ eſt, quòd dicunt eam citiùs obrepere quàm putaſſent, qui enim citiùs adoleſcentiæ ſenectus, quàm pueritiæ adoleſcentia obrepit? II. Ignauiæ prioris ætatis tribuendum eſt, in qua nihil opis in ſe ipſis ad benè viuendum compararunt. III. Intemperantiæ, quòd ægrè carent voluptatibus iuuenilibus, ſine quibus vitam nullam putant. IIII. Quòd à ſuis deſpiciuntur, Moroſitatis ipſorum eſt, & inhumanitatis, quæ omni ætati moleſta eſt.

*Quibus verò cæteri rationibus ſine querelis ſenectutem agunt?*

Rationes eorum ferè ſunt contrariæ: I. Sapientia, qua parent naturæ, nihilq́; malum, quòd putant naturæ neceſſitas afferat. II. Induſtria prioris ætatis, in qua bonis ex artibus, rectéque factis ea compararunt præſidia, vt omnia bona à ſe ipſis petere poſſint. III. Temperantia, quòd à libidinum vinculis laxatos ſe eſſe non moleſtè ferunt. IIII. Moderatio animi, & humanitas, propter quam ab omnib. diliguntur.

*Nihilné verò fortuna ſuppeditat ad placidam ſenectutem, opes, & dignitatem conferendo?*

Eſt iſtud quidem aliquid: ſed nequaquam in eo ſita ſunt omnia. Etenim vt in ſumma inopia non leuis eſſe ſenectus poteſt, ne ſapienti quidem: ita nec inſipienti etiam in ſumma copia non grauis.

*Quænam igitur harum cauſarum eſt præſtantiſsima?*

Aptiſſima omnino ſunt arma ſenectutis artes exercitationesq́ue virtutum: quæ in omni ætate cultæ cùm multum diuq́ue vixeris, mirificos afferunt fructus: non ſolùm quia nunquam deſerunt, ne in extremo quidem tempore ætatis: verum etiam quia conſcientia bene actæ vitæ multorumq́ue benefactorum recordatio iucundiſſima eſt.

## DE VITIIS QVAE obijciuntur ſenectuti: ac primùm de Inertia, & Obliuione.

### CAPVT II.

*Quot ſunt in vniuerſum cauſæ, propter quas ſenectus miſera videatur.*

Cauſæ

CAuſæ primariæ quatuor ſunt: I. Quod auocet à rebus gerendis. II. Quod corpus faciat infirmum. III. Quod priuet omnibus ferè voluptatibus. IIII. Quod haud procul abſit à morte.

*Quibus argumentis obiectio prima refellitur, quòd ſenectus à gerendis rebus abſtrahat?*

Refellitur illa ſex firmiſs. argumentis: Primum eſt, quòd aliæ quidem res geruntur iuuentute & corporis viribus: à quibus fortè ſenectus auocat: Aliæ verò ſunt ſeniles, quæ vel infirmis corporibus, animo tamen adminiſtrantur: à quibus ſenectus nõ abſtrahit, ſed maximè reddit idoneos.

*Quod eſt ſecundum argumentum?*

Res vtiles à ſenibus adminiſtrari declarant exempla plurimorum prꝗſtantium in Repub. virorũ, Fabij Max. L. Pauli, Fabricij Curij, Coruncani, Catonis &c. qui ſua autoritate Rempub. defenderunt: & in primis Appij Claudij, qui licet ad ſenectutem etiam cæcus eſſet: tamen ſolus ſenatum, inclinantem ad pernitioſam cum Pyrroh pacem atque fœdus, retraxit.

*Quod eſt tertium?*

Quòd qui in re gerenda verſari ſene-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0173-4

autem negant, ſimiles ſunt, vt ſi qui gubernatorem in nauigando nihil agere dicant: cùm alij malos ſcandant: alij per foros curſent: alij ſentinam exhauriant: ille autem clauum tenens, ſedeat in puppi quietus: nec faciat ea, quæ iuuenes: ſed tamen totam nauim dirigat.

*Quod quartum?*

Quòd non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res maximæ geruntur: ſed conſilio, authoritate, ſententia: quibus non modò non orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet.

*Quod quintum?*

Quod ſi non ſenum conſilio res magnæ gererentur: nec Romani ſummum conſilium Senatum appellaſſent: nec Lacedæmonij eos, qui ampliſſimum magiſtratum gerebant, vt erant, ſic etiam Senes nominaſſent

*Quod ſextum?*

Quòd ſi legere hiſtorias voluerimus: reperiemus, maximas ſæpe Reſpub. per adoleſcentulos labefactatas ac perditas, à ſenibus ſuſtentatas atque reſtitutas eſſe. Vnde apud Næuium percontanti, Cedò qui veſtram Rempub. tantam amiſiſtis tam citò? reſpondetur, Proueniebant oratores

noui.

noui, ſtulti, adoleſcentuli. Temeritas eſt videlicet florentis ætatis: prudentia ſenectutis.

*Atqui memoria minuitur ſenibus: quo amiſſo inſtrumento, ad res gerendas fiunt inutiles?*

Credo, ſi non exerceant: aut etiam ſi quis ſit natura tardior. Quodſi verò manet ſtudium, permanent & ingenia ſenibus.

*Quibus hoc rationibus probatur?*

I. Declarant id exempla clarorum in Repub. virorum, & iure conſultorum, & philoſophorum, & poetarum &c. in quibus omnibus ſtudiorum agitatio vitæ æqualis fuit. II. Agricolarum id oſtendunt opera: qui & memoriam retinent rerum opportunè adminiſtrandarum omnium: & elaborant in iis, quæ non ſibi, ſed alteri ſint profutura ſæculo. III. Idem apparet ex eo, quod etiam addiſcunt aliquid ipſi ſenes: vt Solonem gloriari ſolitum audimus, ſe quotidiè aliquid addiſcentem ſeneſcere: & Catonem Græcas literas iam ſenem didiciſſe: Idemque Socratem in fidibus feciſſe.

# DE VIRIVM IMBEcillitate, ſecundo ſenectutis vitio.

## CAPVT III.

*Quibus iam argumentis ſecundum ſenectutis vitium refutatur?*

SEcundum de vitijs ſenectutis eſt virium imbecillitas, quam afferre ſenectus arguitur. Ad hoc decem reſpondetur argumentis: Primum eſt, quod aliæ ſunt adoleſcentis vires, aliæ ſenis. Iam verò vires adolſecentis non plus deſiderat ſenex, quàm adoleſcens etiam vires tauri, aut elephantis deſiderat. Quod enim homini naturaliter inſitum eſt, eo vti decet: & quicquid agas, agere pro viribus

*Quod eſt ſecundum argumentum?*

Quòd imperitorum & contemptorum hominum eſt iſta querela, quæ Milonis Crotoniatæ, de lacertis ſuis in ſenectute mortuis: non enim in lateribus & lacertis vera conſiſtit nobilitas. Illuſtres autem quique viri, qualis fuit S. Aelius,

lius, & T. Coruncanus, & P. Craſſus &c. à quibus iura ciuibus præſcribebantur, quorum vſque ad extremum ſpiritum prouecta eſt Prudentia, non eiuſmodi corporis vires in ſua ſenectute deſiderarunt.

## *Quod tertium?*

Quod tamet ſi ad dicendum minùs putetur aptus eſſe ſenex: ſiquidem oratoris munus non ingenij ſolum ſit, ſed laterum quoque ac virium: tamen non deſunt ei quædam ad dicendum commoditates aliæ: I. Vox canora, quæ ſplendeſcit etiam in ſenectute. II. Decorus eſt ſermo ſenis quietus & remiſſus. III. Facit perſæpe ipſa ſibi audientiam diſerti ſenis compta oratio, & mitis.

## *Quod quartum?*

Quod ſi exequi ſenex alia nequeat grauiora munia: attamen eas adhuc ei relinquemus vires, vt adoleſcentulos doceat, inſtituat, ad omne officij munus inſtruat, quo quidem opere quid poteſt eſſe præclarius, aut iucundius? Nec vlli bonarum artium magiſtri non beati putandi ſunt, quamuis conſenuerint vires atque defecerint.

*Quod*

*Quod quintum?*

Quòd illa ipſa defectio virium, adoleſcentiæ vitijs efficitur ſæpiùs, quàm ſenectutis. Libidinoſa enim & intemperans adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti.

*Quodnam ſextum?*

Quòd Cyrus Perſarum rex admodùm ſenex, & iam moriturus, negat ſe vnquam ſenſiſſe, ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quàm adoleſcentia fuiſſet. L. Metellus poſt multorum annorum munera publica, ita bonis viribus fuit in extremo tempore ætatis, vt adoleſcentiam non requireret. Neſtor tertiam ætatem hominum viuebat: & tamen, vt ait Homerus, ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio. Cato quamuis quartum annum & octogeſimum ageret, nondum tamen ſic eneruatus ſenectute fuerat, quo minùs cauſas forenſes ageret.

*Quod ſeptimum?*

Quòd ſi minùs virium habeat ſenex, quàm iuuenis: non idcircò ſtatim hic illo ſit præſtantior. Nam ſi res in contentionem veniat: potiùs Pythagoræ vires ingenij ſint optandæ, quàm corporis Milonis:

nis: quando is Olympiæ per ſtadium ingreſſus, humeris ſuſtineret bouem viuum: Moderatio modò virium adſit: & tantum, quantum quiſque poteſt, nitatur.

*Quod octauum?*

Quod vtendum ſit iſto bono dum adeſt: cùm abeſt, non requirendum. Niſi fortè adoleſcentes pueritiam, paululum ætate progreſſi adoleſcentiam debeant requirere. Curſus eſt enim certus ætatis, & via vna naturæ, eaque ſimplex, ſuaque cuiq; parti ætatis tempeſtiuitas eſt data. Vt enim infirmitas puerorum, & ferocitas iuuenum, & grauitas iam conſtantis ætatis: ſic ſenectutis maturitas naturale quiddam habet, quod ſuo tempore percipi debeat.

*Quod nonum?*

Quòd poteſt etiam temperantia & exercitatio in ſenectute conſeruare aliquid priſtini roboris. Exemplo fuit Maſiniſſa, qui nonaginta annos natus, nullo imbre, nullo frigore adduci potuit, vt capite aperto eſſet: & exequi adhuc omnia regis officia potuit.

*Quod eſt decimum?*

Quod iure ne poſtulantur quidem vires à ſenectute. Nam & legibus & inſtitu-

tis vacat ætas illa muneribus ijs, quæ non poſſunt ſine viribus ſuſtineri.

*At ita multi ſunt imbecilles ſenes, vt nullum officij, aut omnino vitæ munus exequi poßint?*

Non proprium id eſſe ſenectutis vitium, ſed commune valetudinis, duabus rationibus oſtendi euidentibus poteſt. I. Quòd etiam in adoleſcentes interdum illa cadit infirmitas. II. Quod eiuſmodi vitia corrigi atque compenſari diligentia poſſunt.

*Qua verò diligentia, & quomodo queunt compenſari?*

Pugnantum tanquam contra morbum eſt, ſic contra ſenectutem, diligenti cura cùm corporis, tùm Animi.

*Quænam corporis eſt habenda cura?*

I. Valetudinis eſt habenda ratio. II. Exercitationibus modicis vtendum. III. Cibi & potionis tantum adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur.

*Quomodo animus eſt curandus?*

Menti atq; animo multò magis etiam eſt ſubueniendum, bonis ſtudijs atque exercitijs. Namq; hæc quoque, niſi tanquam lumini

lumini oleum inſtilles, extinguuntur ſenectute. Et corpora quidem exercitatione ingraueſcunt: animi autem ſe exercendo leuantur.

*Sed quid eſt, quòd Cæcilius poëta ſtultos ſenes vocat?*

Quòd ſtultos vocat: hos vocat credulos, obliuioſos, diſſolutos: quæ vitia ſunt non ſenectutis: ſed inertis, ignauæ, ſomniculoſæ ſenectutis. Quemadmodum enim petulantia & libido adoleſcentum eſſe dicitur, nec tamen omniúm adoleſcentum eſt, ſed non proborum: Sic iſta ſenilis ſtultitia, quæ Deliratio appellari ſolet, ſenum leuium eſt, non omnium.

*Quomodo verò ſtultitia, vel deliratio illa euitatur?*

I. Si diligens illa, de qua dictum eſt, Corporis, & Animi cura conſeruatur. II. Sic ſenectus honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, iusque ſuum & autoritatem in ſuos retinet. III. Maximè verò ad id ingenij & memoriæ exercitationes conducunt, in legendo, commentando, ſcribendo, conſulendo. Quibus in ſtudijs laboribusque viuenti non intelligitur. quando

quando obrepat ſenectus : ita ſenſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit : nec ſubitò frangitur, ſed diuturnitate extinguitur.

# DE VOLVPTATVM carentia, ſenectutis vituperatione tertia.

## CAPVT IIII.

*Quomodo tertiæ ſenectutis vituperationi occurritur?*

TErtia vituperatio ſenectutis eſt, quòd eam carere dicunt voluptatibus : ad quam per diſtinctionem quoque reſpondetur. Alia enim voluptas mala eſt, & inhoneſta, & vel in adoleſcentia vitioſiſſima: quam quòd aufert ſenectus, præclarum eius munus habendum eſt. Alia verò bona & honeſta, quam non aufert ſenectus : ſed ea maximè fruitur ac ſe oblectat.

*Quænam eſt voluptas vitioſa?*

Ea quæ corporis tantum eſt: idque probatur ſex firmiſs. argumentis : Primum, quòd Archytas Tarentinus magnus vir & præclarus dixit: Nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem hominibus

bus à natura datam eſſe. Itemque Plato, eſcam malorum voluptatem appellauit: quòd ea videlicet homines capiantur, vt hamo piſces.

*Quod eſt ſecundum?*

Quòd (eodem referente Archyta) hinc patriæ proditiones, hinc Rerumpub. euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſcantur: nullum denique ſcelus, nullum malum facinus ſit, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra verò, adulteria, & omne tale flagitium, nullis alijs illecebris, niſi voluptate excitantur.

*Quodnam tertium?*

Quòd cùm homini Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino muneri ac dono nihil ſit tam inimicum, quàm voluptas. Nec enim libidine dominante, temperantiæ locus eſt omninò: nec in voluptatis regno virtus poteſt conſiſtere. Siquidem corporis voluptate incitatus, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poteſt: eaque cùm maior eſt, atque longior, omne animi lumen extinguit.

*Quod quartum?*

Quòd

Quòd Romani tam turpem, tam peſtiferam ac det eſtabilem iudicarunt voluptatem: vt viros aliâs nobiliſſimos, poſt defunctos honores maximos, libidinis ac voluptatis cauſa è Senatu eiecerint. Id quod præter cæteros in L. Flamminio declaratum fuit. Priuatum enim probrum ad totius imperij dedecus arbitrabuntur pertinere.

## *Quod quintum?*

Quod C. Fabricius, M. Curius, & T. Coruncanus, cùm audiſſent, Athenis eſſe qui ſe ſapientem profiteretur, idemq; diceret, omnia quæ faceremus, ad voluptatem eſſe referenda: optarunr, vt id Samnitibus, & Pyrrho Romanorum hoſtibus perſuaderetur: quo nimirum faciliùs vinci poſſent, cùm ſe voluptatibus dediſſent.

## *Quod eſt ſextum argumentum?*

Quoniam ſenectus caret epulis, extructis menſis, & frequentibus poculis: idcircò etiam caret incommodis multis quæ inde ſequuntur, vinolentia, crudelitate, grauibus inſomnijs &c. Itaque non modo vituperatio nulla, ſed etiam ſumma laus eſt ſenectutis quod ea voluptates non magnopere deſiderat.

DE

# DE HONESTIS ET ſenectuti conceſſis voluptatibus.

## CAPVT V.

*Quæ iam eſt illa voluptas honeſta, & conceſſa ſenectuti?*

EA quæ animi magis, quam corporis oblectatione nititur. Quatuor autem potiſſimùm res ſunt, è quibus honeſtè ſenes voluptatem capiunt: Prima eſt conuiuiorum: quorum voluptatibus ſenectutem nequaquam carere intelligimus.

*Quibus rationibus conuiuia ſenibus voluptatem pariunt?*

I. Quanquam immoderatis epulis careat ſenectus: tempeſtiuis tamen conuiuijs & modicis poteſt delectari: & cum ſodalibus epulari: & poculis minutis atque rorantibus vti &c. II. Conuiuiorum delectationem non corporis voluptatibus magis, quàm cœtu amicorum, & ſermonibus metiri. Vnde veteres Rom. accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, Conuiuium nominarunt: melius quàm Græci, qui hoc

idem

idem tùm Συμπόσιον, id eſt, Compotationem, tùm Σύνδειπνον, id eſt, Concœnationem vocarunt.

*At non eſt voluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus, quanta in adoleſcentibus?*

Verum, tamen non idcircò voluptate omnino ſenectus caret. I. Quod nec deſideratio earum rerum eſt, quibus lætantur iuuenes: ſed ſatiatis, & expletis iucundius eſt carere quàm frui. Vnde Sophocles ætate confecta dicebat, à rebus Venereis libenter ſe tanquam à domino agreſti ac furioſo profugiſſe. II. Magni æſtimandum eſt, animum tanquam emeritis ſtipendijs libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, ſecum eſſe, ſecumque vt dicitur viuere.

*Quæ eſt igitur ſecunda ſenectutis oblectatio?*

Si habet ſenectus aliquod tanquam pabulum ſtudij atque doctrinæ, nihil eſt otioſa, ſenectute iucundius. Atque hæc ſtudia ſunt doctrinæ, quæ prudentib. & benè inſtitutis pariter cum ætate creſcunt. Vt honeſtum illud Solonis ſit, quod ait, Seneſcere

ſcere ſe multa indies addiſcentem: qua voluptate animi nulla certè poteſt eſſe maior.

*Quænam eſt tertia voluptas ſenectutis?*

Tertia eſt, quæ ex agricultura percipitur, quæ nulla impeditur ſenectute: cuiusque ſtudium & vtile cumprimis eſt, & iucundum, & honeſtum.

*Qua ratione cognoſcitur eius vtilitas?*

Quod vtiles ſit agricultura, multis ex rebus manifeſtum fit. Habent enim agricolæ rationem cum terra, quæ nunquam recuſat imperium: nec vnquam ſine vſura reddit, quod accepit, ſed plerumque maiore [illegible]m fœnore. Eſt igitur hominum generi [illegible]uerſo cultura agrorum ſalutaris, copia [illegible]nium rerum, quę ad victum hominum [illegible]nent. Semper enim boni aſſiduique [illegible]colæ referta cella vinaria, olearia, mel- & penuaria, villaque tota locuples eſt: dat porco, hœdo, agno, gallina, lacte, [illegible], melle &c.

*[illegible]uæ res iucunditatem agriculturæ continent?*

[illegible]od iucunda ſit eadem, pluribus è re-

bus planum fit. I. Ipſius terræ vis ac natura delectat, quæ mirabili ratione ex ſemine concepto, herbam primùm, deinde culmum, tum frugem fundit. II. Plantatio vitium atque arborum, cæterarumque rerum quæ ex terra generantur, non minùs admirabilis: quod è ſtirpium minutiſſimis ſeminibus, tantos truncos ramosq́; &c. natura procreat: quæ quemuis admiratione delectant. Nec conſitiones modò, ſed etiam inſitiones delectant, quibus nihil inuenit agricultura ſolertius. III. Delectant & irrigationes, & agri foſſiones, repaſtinationesque, quibus fit multò terra fœcundior. IIII. Nec verò ſegetibus ſolùm, & pratis, & vineis, & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt: ſed pomarijs etiam & hortis: tùm pecudum paſtu, & apum examanibus, tùm florum omnium varietate.

## *Quomodo eius honeſtas declaratur?*

Quod eadem honeſta ſit, patet ex eo, quòd ab honeſtiſſimis ſemper viris culta fuit, quo quidem in numero eſt M. Curius Dentatus, qui cum de hoſtibus triumphaſſet aliquoties, in agricultura conſumpſit

ſumpſit extremum tempus ætatis : & L. Quintius Cincinatus, cui aranti nunciatum eſt, eumdictatorem eſſe factum : & M. Valerius Coruinus, qui ad centeſimum annum vitam produxiſſe ſcribitur, & exactam iam ætatem in agriculturæ ſtudio tranſegiſſe. Quin etiam Cyrum minorem, Perſarum regem præſtantem ingenio atq; imperij gloria, Xenophon ſcribit, ſolertiſſimum fuiſſe in agris conſerendis, & deſcribendis arborum ordinibus. Idemque ait, Nihil ſibi tam regale videri, quàm ſtudium agri colendi.

*Quæ eſt quarta voluptas ſenectutis?*

Quarta eſt, quæ comparatur ex honore & authoritate, quæ quaſi apex eſt ſenectutis, Habet enim ſenectus, honorata præſertim tantam authoritatem, vt ea pluris ſit, quàm omnes adoleſcentiæ voluptates.

*Atqui non omnes ſenes honorantur?*

Eſt ita ſanè: nam ea demum laudanda ſenectus eſt, quæ fundamentis adoleſcentiæ conſtituta eſt. Ex quo illud effi-

citur, miſeram eſſe ſenectutem, quæ ſe oratione defendit. Non cani, non rugæ autoritatem arripere poſſunt: ſed honeſtè acta ſuperior ætas, fructus autoritatis præbet extremos. Hæc autem ipſa ſunt honorabilia, quæ videntur leuia atque communia, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli: quæ in optimè moratis ciuitatibus diligentiſſimè obſeruantur.

*At ſunt moroſi, & anxij, & iracundi, & difficiles ſenes, atque etiam auari: quas ob cauſas videntur vtiq; miſeri eſſe?*

I. Morum hæc vitia ſunt, non ſenectutis. II. Moroſitas, & eiuſmodi vitia habent aliquid excuſationis probabilis: quòd ſe cõtemni putent, deſpici, illudi: quodq́ue in fragili corpore odioſa omnis offenſio eſt. III. Correctio in ipſis locum inuenit, omniaque dulciora fiunt & bonis moribus & artibus. IIII. Seueritas in ſenectute etiam probanda eſt, ſed modica, non acerba. V. Auaritiæ nulla cauſa eſt: non enim quicquam eſt abſurdius, quàm quo minùs viæ reſtat, eò plus viatici quærere.

# DE MORTIS APPROpinquatione, quarta ſenectutis miſeria.

## CAPVT VI.

### *Quarta ſenectutis miſeria vt refellitur?*

QVarta cauſa, quæ maximè angere, atq; ſolicitam habere ſenectutem videtur, eſt appropinquatio mortis, quæ ab eo non longè poſſit abeſſe. Refellitur autem hæc obiectio duabus potiſſimùm rationibus. I. De morte contemnenda. II. De animi immortalitate ſperanda. Quarum vtraque poſtea pluribus argumentis confirmatur.

### *Quibus igitur argumentis probatur, mortem eſſe contemnendam?*

Quindecim: Primum eſt, vtroque modo mors non eſt mala, ſiue animum extinguit, ſiue ſinit eſſe ſuperſtitem. Nam ſi omninò extinguet animum, contemnenda eſt, quòd dolorem nullum facit reliquum. Sin relinquit ſuperſtitem: aliquò eum deducit, vbi ſit futurus æternus ac beatus

Ideoq; non ſolùm non eſt contemnenda: ſed etiam appetenda.

*Quod eſt ſecundum argumentum?*

Quia ſenectutis non eſt hoc crimen de morte proprium, vt pote quæ cum adoleſcentia, omniq́ue ætate alia communis eſt. Quis eſt enim tam ſtultus, quamuis ſit adoleſcens: cui ſit exploratum, ſe ad veſperam eſſe victurum? Quin etiam ætas illa, multò plures, quàm ſenectus, mortis caſus habet, faciliùs in morbos incidunt adoleſcentes: grauiùs ægrotant: triſtius curantur: itaq; pauci veniunt ad ſenectutem.

*At ſpes eſt adoleſcenti, diu ſe victurum, quod idem ſperare ſenex non poteſt?*

I. Inſipienter ſperat, quid enim ſtultius eſt, quàm incerta pro certis habere, ac falſa pro veris? II. Senex eo eſt meliore conditione quàm adoleſcens: cùm id quod ſperat ille aſſecutus eſt. Ille vult diu viuere: hic diu vixit. Atq; hoc tertium argumentum eſt, ob quod mors non ſit mala ſeni iudicanda.

*Quod eſt quartum?*

Quia nihil eſt in hominis vita diu. Etiamſi enim ſupremum ætatis tempus, & vita detur longiſſima: tamen nec diuturnium quidem

quidem quicquam videtur, in quo eſt aliquid extremum. Cùm enim id aduenerit, tùm illud quod præterijt, effluxit. Tantum remanet, quod virtute & rectè factis ſis conſecutus. Horæ quidem cedunt, & dies, & menſes, & anni: nec præteritum tempus vnquam reuertitur, nec quid ſequatur ſciri poteſt.

*Quod quintum?*

Quia quod cuiq; temporis ad viuendum datur, eo debet contentus eſſe. Quemadmodum enim hiſtrioni opera danda eſt, vt placeat ſpectatoribus, in quocunq; fuerit actu, etiamſi non ipſi ſit peragenda fabula: ſic ſapienti ſtudendum eſt, vt rectè laudabiliterque viuat, etiamſi ſummam ſenectutem non aſſequatur. Breue enim tempus ætatis ſatis eſt longum, ad bene honeſteq; viuendum.

*Quod ſextum?*

Quia ſicut agricolæ verni temporis ſuauitate præterita, non dolent, æſtatem, aut autumnum aduenisse, ſed potiùs percipiendis fructibus lætantur: ſic qui proceſſerit longiùs viuendo, non debet dolere propter ætatis partes præteritas: ſed ante actæ vitæ fructum percipere. Fructus autem ſenectutis eſt, in antè partorum bonorum memoria, & copia.

*Quod ſeptimum?*

Quia quæ ſecundùm naturam fiunt omnia ſunt habenda in bonis. Quid eſt autem tam ſecundùm naturam, quàm ſenib. emori? Quod idem contingit adoleſcentibus, aduerſante & repugnante natura.

*Quod octauum?*

Quia vt aquæ multitudine vis flammæ opprimitur, ignis autem conſumptus ſua ſponte extinguitur: Et vt poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi auelluntur: ſi matura & cocta, vltro decidunt: Sic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.

*Quod nonum?*

Quia cæterarum ætatum omnium certus eſt terminus: ſenectutis autem nullus certus eſt terminus: recteq; in ea viuitur, quoad munus officij exequi & tueri poſſis. Ex eo fit, vt animoſior etiam ſenectus ſit, quam adoleſcentia, & fortior: & ad mortem contemnendam paratior.

*Quod decimum?*

Quia finis ille viuendi eſt optimus, quẽ natura conſtituit: cùm integra mente, cæteriſq; ſenſibus, opus ipſa ſuum eadem, quæ coagmentauit, natura inſtar fabri diſſoluit. Ita fit, vt illud breue vitæ reliquum nec auidè appetendum ſenibus, nec ſine

cauſa deſerendum ſit. Vetatq; Pythagoras. iniuſſu imperatoris, id eſt, DEI, de præſidio & ſtatione vitæ decedere.

*Quod vndecimum?*

Quia non cenſent ſapientes lugendum eſſe mortem quam immortalitas conſequatur. Quam in ſententiam dixit Ennius.

Nemo me lachrymis decoret, neque funera fletu.

Faxit: volito viuus per ora virûm.

*Quod duodecimum?*

Quia nullo cum dolore mors eſt coniuncta. Si enim ſenſus moriendi aliquis eſt, aut in morte eſt, aut poſt mortem: ſi in ipſa morte, ad exiguum tempus durat, præſertim ſeni. Poſt mortem autem aut nullus eſt, aut etiam optandus, ob eam, de qua dictum eſt, & rurſus dicetur immortalitatem animi.

*Quod decimum tertium?*

Quia contra fatales caſus maturè ob firmatus animus, & hoc meditatum ab adoleſcentia debet eſſe, mortem vt negligamus: ſine qua meditatione tranquillo eſſe animo nemo poteſt. Moriendum enim certè eſt, & id incertum an eo ipſo die. Mortem igitur omnibus horis impendentem ti-

mens, quis tranquillo poſſit animo conſiſtere.

*Quod decimum quartum?*

Quia mortem pro patria voluntariam adierunt non modò præſtantes illi viri, Brutus, Decius, Regulus, Scipiones, Marcellus &c. ſed etiam legiones integræ in eum ſæpe locum profectæ ſunt alacri animo & erecto, vnde nunquam ſe redituras arbitrarentur. Quod igitur adoleſcentes indocti, & ruſtici contemnunt, id docti ſenes non debent extimeſcere.

*Quod decimum quintum?*

Quia omnino rerum omnium ſatietas vitæ facit ſatietatem. Sunt enim pueritiæ certa ſtudia, quæ non ampliùs deſiderant adoleſcentes: ſunt & ineuntis adoleſcentiæ, quæ conſtans non requirit ætas: ſunt & huius ætatis mediæ, quæ in ſenectute non quæruntur: ſunt autem extrema quædam ſtudia ſenectutis. Ergò vt ſuperiorum ætatum ſtudia occidunt, ſic occidunt etiam ſenectutis, quod cùm euenit, ſatietas vitæ maturum tempus mortis affert.

DE

# DE IMMORTALItate Animi.

## CAPVT VII.

*Quibus iam argumentis immortalitas animi probatur?*

QVindecim itidem: Primum, quoniam animus cœleſtis eſt, ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in corpus humanum: Vnde ſolutus, ad diuinam naturam, & æternitatem redire putandus eſt.

*Quod eſt ſecundum argumentum?*

Quoniam ſumma authoritate philoſophi nunquam dubitarunt, quin ex vniuerſa mente diuina delibatos animos haberemus: velut Pythagoras & Pythagorei ſtatuerunt: & Socrates, qui ſapientiſſimus Apollinis oraculo iudicatus fuit, ſupremo vitæ die de immortalitate animorum præter alias multas rationes tres ſequentes expoſuit.

*Quod tertium?*

Quoniam tanta celeritas animorum eſt, tanta memoria præteritorum, futurorum prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ: tot inuenta: non poteſt ea natura, quæ res eas continet, eſſe mortalis. H 6

*Quod quartum?*

Quoniam animus ſemper agitatur, nec principium motus habet, quia ipſe ſe mouet: nec finem quidem habiturus eſt motus, quia nunquam ſe ipſe relicturus eſt.

*Quod quintum?*

Quoniam ſimplex animi natura eſt, nec habet in ſe quicquam admixtum diſpar ſui atque diſſimile: non poteſt is diuidi: ideoq́; nec interire.

*Quod ſextum?*

Quoniam apud Xenophontem moriens Cyrus maior, hæc dicit, quę proximis quinque continentur argumentis: Nolite arbitrari ô mihi chariſſimi filij, me, cùm à vobis diſceſſero, nuſquam aut nullum fore. Nec enim dum eram vobiſcum, animum meum videbatis: ſed eum eſſe in hoc corpore, ex ijs rebus quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur eſſe creditote, etiamſi nullum videbitis.

*Quod ſeptimum?*

Quoniam clarorum virorum poſt mortem honores non permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quò diutiùs memoriam ſui teneremus.

*Quod*

*Quod octauum?*

Quoniam dum in corpore mortali eſt animus, viuit & ſapiens eſt. Multò igitur magis cùm ex inſipienti corpore euaſerit, & omni admiſtione corpori liberatus eſſe cœperit, viuet & ſapiens erit.

*Quod nonum?*

Quoniam cùm morte diſſoluitur hominis natura, cæterę partes, vt perſpicuum eſt, abeunt illuc omnes, vnde ortæ ſunt. Igitur & animus, licet non apareat, ad ſuam tamen naturam quoque inuiſibilem & diuinam reuertetur.

*Quod decimum?*

Quoniam in ſomno, qui morti admodũ ſimilis eſt, dormientium animi maximè declarant diuinitatem ſuam. Multa enim cùm remiſſi & liberi ſunt, futura proſpiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri ſint, cùm ſe planè corporis vinculis liberarint.

*Quod vndecimum?*

Quoniam præſtantes quique viri tanta non conarentur, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent: niſi animo cernerent, poſteritatem ad ſe pertinere poſſe: ſed me-

lius ducerent, otioſam ætatem & quietam ſine vllo labore aut contentione traducere.

*Quod duodecimum?*

Quoniam ſapientiſs. quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo: eam ob cauſam, quòd animus is qui plus cernit, & longiùs, videt ſe ad meliorem proficiſci vitam: ille autem, cuius obtuſior eſt acies, non videt.

*Quod decimum tertium?*

Quoniam hæc vita tot habet incommoda, tot labores: vt ſi DEVS largiatur, vt liceat repueraſcere, & quaſi decurſo ſpatio à calce ad carceres reuocari: valde ſit id recuſandum. Quin etiam ſi tales ærumnas non haberet: habet certè tamen aut ſatietatem, aut modum.

*Quod decimum quartum?*

Quoniam ex hac vita diſcedimus, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diuerſorium nobis, non hab.tandi locum dedit.

*Quod decimum quintum?*

Quoniam bonorum virorum, & chariſſimorum hominum, ex opinione ſapientum, iucundiſſima eſt futura congregatio: minus etiam dolendum eſt bonis, cùm è turba, & colluuione huius vitæ erit diſcedendum.

FINIS.

# IN M. T. CICERONIS DIALOGVM DE AMICITIA

## EROTEMATA.

## DE ARGVMENTO, & deſcriptione rei propoſitæ.

### CAPVT I.

*Quid Cicero agit in hoc Dialogo?*

DIſſerit de Amicitia, re in communi vita longè vtiliſſima, & ad bene viuendum cumprimis neceſſaria: velut in qua conſiſtunt omnia, quæ putant homines eſſe expetenda: & ſine qua nulla eſſe vita videatur.

*Quæ ſunt ergo partes huius Dialogi primariæ?*

Tres: quarum in prima deſcriptionem ponit autor Amicitiæ. Secunda cauſas eius explicat

explicat. Tertia præcepta perſequitur amicitiæ vel conſtituendæ: vel conſeruandæ: vel, ſi neceſſe ſit, iterum diſſoluendæ.

*Quænam in eius deſcriptione perpendit?*

In genere quidem commendat amicitiam, vt eam, quæ ſit omnibus rebus humanis anteponenda: quæ naturæ hominis ad res vel ſecundas, vel aduerſas maximè apta: quæ honeſta cumprimis, & vtilis, & neceſſaria. In ſpecie verò rationes explicat, ab eius I. Subiectio. II. Genere ac differentia. III. Definitione. IIII. Speciebus. V. Comparatis. VI. Cauſa. VII. Effectis. VIII. Contrarijs.

*Quodnam eſt igitur ſubiectum amicitiæ?*

Amicitia non niſi in bonis eſſe poteſt. Boni verò non Stoicorum more ſunt accipiendi ſoli ſapientes: ſed qui ita ſe gerunt, ita viuunt, vt eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas: nec ſit in eis vlla cupiditas, vel libido, vel audacia: ſintq́; magna conſtantia, qui ſequantur, quantum homines poſſunt, naturam optimam rectè viuendi ducem.

*Quod eſt genus amicitiæ?*

Amicitia eſt quædam ſocietas. Cùm autem ita nati ſint homines, vt inter omnes eſſe ſocietas quædam: maior fit ſocietas, vt quiſque proximè accidit. Itaq; ciues potiores ſunt, quàm peregrini, & propinqui, quam alieni.

*Quomodo differt amicitia à propinquitate, & cæteris ſocietatum generibus?*

Tribus modis: I. Illæ naturales ſunt: hæc verò voluntaria eſt. II. præſtat amicitia propinquitati: quod ex propinquitate beneuolentia tolli poteſt: ex amicitia non poteſt III. Reliquæ ſocietates inter plures eſſe poſſunt: in amicitia verò ita contracta res eſt, & adducta in anguſtum, vt omnis charitas aut inter duos, aut inter paucos iungeretur.

*Quænam eſt igitur amicitiæ definitio?*

Amicitia nihil eſt aliud, quàm omnium diuinarum, humanarumq; rerum, cum beneuolentia & charitate ſumma conſenſio.

*Quot ſunt ſpecies amicitiæ?*

Tres: Vna enim eſt vulgaris, quæ ex le-

vi qualicunq; contingit notitia. Altera mediocris, quæ ex maiore naſcitur conſuetudine, & ipſa quoq; delectat & prodeſt. Tertia vera & perfecta, qualis paucorum eſt virorum bonorum ſe inuicem amantium: qualis fuit inter Oreſtem & Pyladem, quorum alteruter pro altero necem ſubire non grauabatur. De qua hoc loco maximè agitur.

*Quibus cum rebus comparatur amicitia?*

Amicitia comparata cum bonis fortunæ, corporis, animi: omnibus ferè præſtantior deprehenditur. I. Nam ea quæ alij præponunt, diuitiæ, valetudo bona, potentia honores, caduca ſunt & incerta, poſita non tàm in noſtris conſilijs, quàm in fortunæ temeritate. Voluptas, quàm multi admirantur, belluarum eſt: Amicitia verò hominis eſt propria. II. Cæteræ res, quæ expetuntur, opporrunæ ſunt, ſingulæ reb. ferè ſingulis: diuitiæ vt vtare: opes vt colare: honores vt laudere: voluptates vt gaudeas: valetudo vt dolore careas, & muneribus fungare corporis: amicitia verò plurimas res continet: quoquo te vertas, præſto eſt, nullo loco excluditur, nunqnam intempeſtiua, nunquam moleſta eſt. Itaq; non aqua, non igni, vt aiunt, pluribus locis vtimur, quam amicitia.

Annon

*Annon autem virtus præſtat amicitiæ, in qua ſummum bonum collocant?*

Qui in virtute ſummum bonum ponunt, Præclare quidem illi faciunt: ſed hæc ipſa virtus cauſa eſt, quæ amicitiam & gignit, & continet: nec enim ſine virtute amicitia eſſe vllo pacto poteſt.

*Quæ ſunt effecta amicitiæ?*

Amicitia in rebus humanis plurimas maximasque opportunitates habet: I. Beneuolentiam amicorum mutuam. II. Fidem in arcanis colloquijs. III. Gaudium commune & ornamentum in ſecundis rebus. IIII. Solatium & leuamen in aduerſis. V. Vſum omnibus rebus, locis & temporibus aptum. VI. Præſidium in abſentia, opem in egeſtate, auxilium in imbecillitate. VII. Spem poſteri temporis. VIII. Honorem, & æternam memoriam.

*Quod eſt contrarium amicitiæ?*

Inimicitia, diſſenſio, diſcordia è quorum effectis intelligitur, quanta vis ſit amicitiæ atq; concordiæ. Nulla enim domus tam ſtabilis, nulla tam firma ciuitas eſt, quæ non odijs atque deſſidijs poſſit euerti

# DE CAVSIS AMICITIÆ, & primum generantibus.

## CAPVT II.

*Quas iam amicitiæ cauſas autor examinat?*

CAuſas perpendit quadruplices: I. Generantes. II. Corrumpentes. III. Finales. IIII. Formales.

*Quæ ſunt generantes cauſæ amicitiæ?*

Generans amicitiæ cauſa primaria quidem & remotior eſt Natura: ab hac enim amandi naſcuntur principia: id quod etiã animaduerti poteſt in quibuſdã beſtijs: ſed euidentiùs in hominibus ex ea charitate, quæ eſt inter natos & parentes, quæ dirimi niſi deteſtabili ſcelere non poteſt. Secundaria verò, & proxima cauſa virtus eſt, morumque ſimilitudo. Nihil eſt enim amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum. Quippe cùm propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, vel quod maius eſt, etiam hoſtes quodammodo diligamus.

*Annon autem vtilitatis cauſa conſtituuntur amicitiæ, vt dandis recipiendiſq́; meritis imbecillitati ſuccurratur & inopiæ?*

Minimè verò: nam. I. Vtilitates etiam ab his percipiũtur ſæpe qui ſimulatione amicitiæ coluntur & obſeruantur, tẽporis cauſa: in amicitia autem nihil fictum, nihil ſimulatum: & quicquid in ea eſt, idem verum & voluntarium eſt. II. Si ex inopia naſceretur amicitia, vt quiſq; valetudinis minimum in ſe eſſe arbitraretur, ita ad amicitiam eſſet optimus: quod longè ſecus eſt. Vt enim quiſq; ſibi plurimum confidit, & vt quiſque maximè virtute & ſapientia ſic munitus eſt, vt nullo egeat, ſuaq́; omnia in ſe ipſo poſita iudicet: ita in amicitijs expetendis colendisq́ue maximè excellit. III. Si vtilitas amicitias conglutinaret: eadem commutata diſſolueret.

*Neque voluptas igitur cauſa erit amicitiæ?*

Multò minùs: hæc enim pecudum eſt. Itaque nihil altum, nihil magnificum nec diuinum

diuinum ſuſpicere poſſunt, qui omnes ſuas cogitationes in rem tam humilem, tamq; contemptam abiecerunt.

*Nihilne verò adiuuatur amicitia beneficijs, ſtudijs conſuetudine?*

Confirmatur ſanè amor & beneficio accepto, & ſtudio perſpecto, & conſuetudine adiuncta. Quibus rebus ad illum primum motum animi & amoris adhibitis, admirabilis quædam exardeſcit beneuolentiæ magnitudo.

*Ergò fructus aliquis & vtilitas ſpectatur in amicitia?*

Quamquam vtilitates multæ & magnæ nonnunquam conſequantur: non ſunt tamen ab earum ſpe cauſæ diligendi petendæ. Vt enim benefici liberalesque ſumus, non vt exigamus gratiam: ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus: ſic amicitiam non ſpe mercedis adducti, ſed quod omnis eius fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus.

*Quæ eſt igitur progreſſio in hiſce cauſis amicitiæ?*

Nimirum intelligamus primum à natura gigni ſenſum diligendi, & beneuolentiæ charitatē, facta ſignificatione ꝓbitatis: quā

qui appetiuerunt, applicant ſeſe ac propiùs admouent, vt & vſu eius, quem diligere cœperunt, fruantur & moribus. Deinde vt ſint pares in amore & æquales, propenſioresque ad bene merendum, quàm reposcendum. Atque hæc inter eos ſit honeſta certatio. Sic & vtilitates ex amicitia maximæ capientur, & erit eius ortus à natura, quàm ab imbecillitate & grauior, & verior.

## DE CORRVMPENtibus cauſis amicitiæ.

### CAPVT. III.

*Quæ ſunt corrumpentes cauſæ amicitiæ?*

QVinque potiſſimùm res ſunt, quæ corrumpunt amicitiam, nec ſinunt eam facilè ad extremum vſque vitæ diem permanere. I. Vtilitatis ratio, cùm incidit, vt non idem vtrique expediat. II. Sententiarum de Repub. diſcrepantia. III. Morum mutatio, vel in aduerſis rebus: vel ætate ingraueſcente. IIII. Honorum contentio, quæ poſt pecuniæ cupiditatem, in optimis

quibuſq; & ſæpè amiciſſimis, maximas inimicitias excitat. V. Poſtulatio rei minùs honeſtæ: vt aut libidinis miniſtri amici, aut adiutores velint eſſe ad iniuriam.

*Annon igitur quiduis licet ab amico poſtulare: eiq; viciſsim in omnibus obſequi?*

Nequaquam verò: neque enim Coriolanum adiuuare amici debuere contra patriam arma ferentem: neque Becillinum, aut Melium, regnum appetentem: neque Tib. Gracchum, Rempub. vexantem. Eſtq; nefaria vox illa C. Bloſſij, qua dixit ſe tanti Gracchum feciſſe, vt quicquid ille vellet, ſibi faciundum putaret, etiamſi Capitolium voluiſſet incendere.

*Ergò nulla erit excuſatio peccati, quod amici cauſa commiſſum fuerit?*

Nulla omninò. Nam cùm conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit: difficilè eſt amicitiam manere, ſi à virtute defeceris.

*Quid eſt autem, quod præcipiunt Stoici, omnia amicorum cauſa eſſe facienda?*

Quod ſi rectum ſtatueremus, vel conce-

dere amicis quicquid velint, vel impetrare ab illis quicquid velimus, perfecta nos ſapientia præditos eſſe oporteret, resque petere, quæ nihil haberent vitij. Quoniam autem tales perfectè ſapientes nulli reperiuntur: eorum ſequi amicorum exempla debemus, quid ad ſapientiam proximè accedunt: quorum neminem deprehendemus, ab amico quicquam contendere, quod contra fidem, contra iuſiurandum, contra Rempub. eſſet: aut ſi contenderent, impetrare. Atquè autem nefas eſt, tale aliquid & facere rogatum, & rogaſſe.

*Quid verò faciendum eſt, ſi quis ignarus caſu aliquo tales in amicos inciderit, qui iniquum poſtulare non dubitent?*

Bonis quidem præcipiendum eſt, ne exiſtiment ita ſe alligatos, vt ab amicis in magna re aliqua in Remp. peccantibus non diſcedant. Improbis autem pœna ſtatuenda eſt: nec minor verò ijs, qui ſecuti erunt alterum rogantem, quàm ijs, qui ipſi rogando fuerint impietatis duces.

*Quæ ſunt igitur in hac parte breuiter obſeruanda?*

Quatuor ſunt obſeruanda præcipuè: 1.

Vt ab amicis honeſta petamus: amicorumque cauſa honeſta faciamus. II. Vt ne expectemus quidem, dum rogemur: ſed ſtudium ſemper adſit, cunctatio abſit. III. Conſilium verum dare gaudeamus liberè. IIII. Plurimum amicorum bene ſuadentium valeat autoritas: eaque & adhibeatur ad monendum, non modò apertè, ſed etiam acriter, ſi res poſtulabit: & autoritati adhibitæ pareatur.

## DE FINALIBVS CAVſis amicitiæ.

### CAPVT. IIII.

*Quæ iam ſunt finales cauſæ amicitiæ?*

FInes amicitiæ non eadem modo æſtimantur ab omnibus. Quidam enim cenſent, omnino fugiendas eſſe nimias amicitias. Quidam verò vtilitatis cauſa dicunt expetendas eas eſſe. Pauci denique quidam in vero amicitiarum fine acquieſcunt.

*Qua de cauſa primi putant fugiendas eſſe amicitias?*

Nimirum ne neceſſe ſit, vnum ſoli-

citum eſſe pro pluribus: ſatis aiunt, ſuperque eſſe ſibi ſuarum cuique rerum curam: alienis nimis implicari moleſtum eſſe. Cōmodiſſimum igitur eſſe, quàm laxiſſimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas, cum velis: vel remittas. Caput enim eſſe ad benè viuendum ſecuritatem: qua frui non poſſit animus, ſi tanquam parturiat vnus pro pluribus.

*Quibus verò rationibus hæc ſententia redarguitur?*

Sex præcipuè: Prima, quod ſecuritatis blanda ſpecie, rem honeſtiſſimam & præcioſiſſimam reijciunt. Solem enim è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt: qua nihil à dijs immortalibus melius habemus: nihil iucundius.

*Quæ eſt ſecunda ratio?*

Quod ſi curam fugimus, virtus fugienda eſt: quæ neceſſe eſt vt cum aliqua cura res ſibi contrarias aſpernetur atque oderit, vt bonitas malitiam: temperantia libidinem: ignauiam fortitudo. Itaque videre licet, rebus iniuſtis iuſtos maximè dolere: imbecillibus fortes: flagitioſis modeſtos. Ergo hoc proprium eſt animi benè conſtituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrarijs.

Quæ

*Quæ tertium?*

Si cadit in ſapientem affectio & animi dolor: etiam ſolicitudo curaque cadet. Cadit autem in ſapientem talis affectio: niſi ex eius animo extirpatam humanitatem arbitremur & inter hominem atque pecudem, vel potiùs inter hominem & ſaxum atque truncum omne diſcrimen toliamus. Nulla igitur cauſa eſt, vt amicitiam funditùs tollamus è vita, ne aliquas propter eam ſuſcipiamus moleſtias.

*Quæ quartum?*

Quoniam virtus, quæ contrahit amicitias, non adeò iniucunda, dura, & quaſi ferrea res eſt, vt aliqui putant: ſed & alijs multis in rebus, & in amicitia maximè tenera, atque tractabilis, vt & bonis amici quaſi diffundatur, & incommodis contrahatur. Itaque angor & ſolicitudo, quæ pro amico nonnunquam capienda eſt, non tantum valet, vt tollat è vita amicitiam.

*Quænam quintum?*

Abſurdum eſt, homines delectari multis manibus rebus: vt honore, vt gloria, vt ædificio, vt veſtitu, cultuq; corporis: animo autē virtute prædito, eo qui vel amare, vel redamare poſſit, non admodùm delectari. Cùm nihil ſit remuneratione beneuolen-

tiæ, nihil viciſſitudine ſtudiorum officiorumque iucundius.

*Quæ ſexta?*

Nihil eſt appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius, quàm natura. Quoniam igitur eſt in amicis ea ſimilitudo virtutis, atque morum, quæ ad amandum allicit atque attrahit: concedatur profectò verum eſſe, vt bonos boni diligant, & cum oblectatione ſingulari aſciſcant ſibi quaſi propinquitate coniunctos atque natura.

*Quæ cauſa cæteros mouit, vt vtilitatem amicitiæ finem facerent?*

Quia viderunt, præſidij & adiumenti cauſa pleroſque ad amicitias contendere: & vt quiſq; minimum firmitatis haberet, ita amicitias maximè appetere. Ex eo fieri vt mulierculæ magis amicitiarum præſidia quærant quàm viri, & inopes quàm opulenti: & calamitoſi, quàm ij qui putantur beati.

*Quibus autem rationibus horum refutatur opinio?*

Septem potiſſimùm: Prima, quoniam non tàm vtilitas parta per amicum, quàm amici amor ipſe delectat: tumque illud fit, quod ab amico eſt profectum, iucundum, ſi cum amore & ſtudio eſt profectum.

Quænam

*Quænam eſt ſecunda ratio?*

Si propter vtilitatem & indigentiam amicitiæ expeterentur: viri opulenti, & nullius ope indigentes nullas colerent amicitias. Atqui experimur, opulentos illos, & maximè virtute præditos, & minimè alterius ope indigentes ſtudioſiſſimè colere amicitiam, & liberaliſſimos eſſe, & beneficentiſſimos. Vnde manifeſtum eſt, quòd propter indigentiam amicitiæ non expetantur.

*Quæ tertia?*

Ne quidem opus eſt, nihil vnquam omninò deeſſe amicis. Nam ſi nulla prorſus eſſet indigentia, ſtudia in conſilijs, & opera mutua non poſſent declarari: quæ maximè declaranda ſunt. Non igitur vtilitatem amicitia, ſe vtilitas amicitiam conſequitur.

*Quæ quarta?*

Si vtilitas finis eſſet amicitiarum: tum eam adepti conquieſcerunt. Iam verò neminem inuenimus, qui velit, vt neque diligat quenquam, nec ipſe ab vllo diligatur, circumfluere omnibus copijs, & in omni rerum abundantia viuere. Patet igitur, in his rebus finem amicitiæ non conſiſtere.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0217-9

*Quæ quinta?*

Tyrannorum hæc nimirum vita eſt, qui opibus quidem abundant: nullius autem fidei, charitatis, ſtabilisque beneuolentiæ fiduciam habent, omnia ſemper ſuſpecta ſunt atq; ſollicita, nullius locus eſt amicitiæ. Quis enim aut eum diligat, quem metuit? aut eum à quo ſe metui putet? Coluntur tamen tyranni ſimulatione amicitiæ, duntaxat ad tempus: quod ſi fortè ceciderint: tùm intelligitur, quam fuerint inopes amicorum.

*Quæ ſexta?*

Quin etiam multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideles. Etenim fortuna excęcati, efferuntur faſtidio ferè, & contumacia neq; quicquam inſipiente fortunato intolerabilius fieri poteſt. Atq; hoc quidem videre licet, eos, qui antè commodis fuerunt moribus, imperio, poteſtate, proſperis rebus immutari: ſpernique ab ijs veteres amicitias: indulgeri nouis.

*Quæ ſeptima?*

Stultum eſt, incerta bona certis, & fluxa ſtabilibus anteponere: & copias, opes, cæteraq; parare, quę parãtur pecunia, equos, famulos, veſtem egregiam, vaſa præcioſa: amicos

amicos non parare, optimam & pulcherrimam vitæ ſupellectilem. I. Etenim cætera cùm parantur, cui parentur neſciunt, nec cuius cauſa laborent: eius enim eſt, iſtorum quicquid eſt, qui vincit viribus: Amicitiarum autem ſua cuique permanet ſtabilis & certa poſſeſſio. II. Vt etiam illa maneant, quæ ſunt quaſi dona fortunæ: tamen vita inculta & deſerta ab amicis, non poſſit eſſe iucunda.

## *Quis eſt igitur verus finis amicitiæ?*

Ipſa beneuolentia atque charitas amantium inter ſe amicorum: quæ & honeſtiſſima eſt, vt pote à virtute vtrinque profecta: & iucundiſſima, propter morum, ſtudiorum, affectionum in omni fortuna ſimilitudinem: & vtiliſſima eadem, propter beneficentiam, atq; inprimis neceſſaria. Nec ſolùm ad amicos, ſed etiam ad multitudinem eius bonitas redundat. Non eſt enim in humana virtus, neque immunis, neque ſuperba: quæ etiam populos vniuerſos tueri, eiſque optimè conſulere ſoleat: quod non faceret profectò, ſi à charitate vulgi abhorreret.

# DE FORMALI CAVſa amicitiæ, deq́; modis diligendi.

## CAPVT V.

*Quænam eſt forma in amicitia, & qui diligendi modus tenendus?*

DE forma, ſiue modo, ſiue terminis diligendi, diſcrepantes itidem ferũtur ſententiæ: quarum hoc loco quinque examinantur: interq́ue illas, quatuor priores improbantur: quinta tanquam verior certiorq́ue conſtituitur.

*Quæ eſt prima ſententia?*

Prima eorum eſt, qui volunt, vt eodem modo, erga amicum affecti ſimus, quo erga noſmetipſos.

*Annon autem vera eſt hæc regula?*

Non eſt ſimpliciter vera. Nam. 1. multa, quæ noſtra cauſa nunquam faceremus, facimus cauſa amicorum: veluti ſunt, precari aliquid amicis ab indignis: acerbius in aliquem inuehi, inſectariq́ue vehementius: quæ in noſtris rebus non ſatis hone-

ſtè, in amicorum fiunt honeſtiſſimè, r r. Multæ quoque res ſunt, in quibus de ſuis commodis viri boni multa detrahunt, detrahiq́; patiuntur, vt ijs amici potiùs, quàm ipſi fruantur.

*Quæ eſt ſecunda ſententia?*

Altera eſt, vt noſtra in amicos beneuolentia, illorum erga nos beneuolentiæ pariter æqualiterque reſpondeat.

*Qua de cauſa hoc improbatur præceptum?*

Quia definire amicitiam paribus officijs ac voluntatibus, eſt nimis exiguè & exiliter ad calculos vocare amicitiam, vt par ſit ratio acceptorum, & datorum. Ditior enim & affluentior debet eſſe vera amicitia: nec obſeruare reſtrictè, ne plus reddat, quàm acceperit.

*Quænam eſt tertia?*

Tertia eſt erronea ſententia, vt quanti quiſque ſeipſum facit, tanti fiat ab amicis.

*Quid vero vitioſum eſt in hac regula?*

Quod ſæpe in quibuſdam aut animus abiectior eſt, aut ſpes amplificandę fortunę fractior. Non eſt igitur amici, talem eſſe in eum, qualis ille in ſe eſt: ſed potiùs eniti, & efficere, vt amici iacentem animũ excitet, inducatq́; in ſpem cogitationẽq́; meliorẽ.

*Quæ eſt quarta de modo diligendi ſententia?*

QuartaBianti falsô à quibuſdam adſcribi putatur: quaſi dixerit ille. Quemq; ſic amare amicum debere, vt aliquando eſſet oſurus.

*Igitur & hoc præceptum in amicitiam non eſt recipiendum?*

Imò verò nulla vox inimicior amicitiæ potuiſſet reperiri. I. Quonam enim modo quiſquam amicus eius eſſe poterit, cuius ſe putabit aliquando inimicum eſſe poſſe? II. Neceſſe erit, cupere, & optare, vt quàm ſæpiſſime peccet amicus, quo plures det ſibi tanquam anſas ad reprehendendum. Rurſum autem rectè factis, commodiſque amicorum neceſſe erit angi, dolere, inuidere.

*Nunquam igitur odiſſe rurſus licet eum, quem ſemel amare cœperimus?*

Sanè, hæc potiùs præcipienda duo fuerunt: I. Vt eam diligentiam adhiberemus in amicitijs comparandis, vt ne quando amare inceperemus eum, quem aliquãdo odiſſe poſſemus. II. Si minus felices in deligen-

deligendo fuerimus, ferendum id potiùs, quàm inimicitiarum tempus cogitandum putemus.

*Quænam eſt igitur verior de modo diligendi ſententia?*

In amicitia his diligendi terminis vtendum eſt: vt cum emendati mores amicorum ſint, tum ſit inter eos omnium rerum, conſiliorum, & voluntatum ſine vlla exceptione communitas: vt etiam ſi qua fortuna acciderit, vt minùs iuſtæ amicorum voluntates ſint adiuuandæ, in quibus eorum aut caput agatur aut fama: declinandum eſt de via, modò ne ſumma turpitudo ſequatur. Eſt enim quatenus amicitiæ dari venia poſſit.

*Nihil igitur omninò hîc excipiendum, & amicorum voluntatibus eſt præferendum?*

Hæc potiſſimum tria excepta debent eſſe: I. Fama non eſt negligenda. II. Non mediocre telum ad res gerendas exiſtimanda ciuium beneuolentia: quam blanditijs & aſſentationibus colligere turpe eſt, III. Virtus, quam ſequitur charitas, minimè repudianda eſt.

# DE PRAECEPTIS AMICITIÆ, PRIMÙM CONſTITUENDÆ.

## CAPUT VI.

*Quæ iam præcepta de amicitia ſunt in tertia Dialogi parte obſeruanda?*

PRæcepta præter præcedentia, traduntur hîc triplicia: quædam enim ad conſtituendam amicitiam pertinent: quædam verò ad conſeruandam iam conſtitutam: Quædam denique ad eandem, ſi neceſſe ſit iterum diſſoluendam.

*Quot ſunt præcepta de conſtituendis amicitijs obſeruanda?*

Tria: Primum eſt. Delectum ante omnia habendum eſſe amicorum: & aſciſcendos in amicitiam dignos & idoneos: tamque diu cohibendum impetum beneuolentiæ, donec eos exploratos habeamus.

*Sed quomodo inſtituetur illa exploratio?*

Signa quædam & notas habere oportet, quibus amicitiam idoneos iudicamus. Sunt autem quinque potiſſimùm idoneorum notæ: Conſtantia, Fides, Simplicitas, Candor, Suauitas. Quo-

### *Quomodo verò à conſtantib. leues poterimus diſcernere?*

Ex moribus eorum, conſtantiæ repugnantibus: I. Auaritia: quidam enim in parua ſæpe pecunia perſpiciuntur quàm ſint leues: quidam autem, quos parua mouere non potuit, cognoſcuntur in magna. II. Ambitione: nam ſi erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre amicitiæ ſordidum exiſtiment: difficiliùs tamen inuenientur qui honores, magiſtratus, imperia, poteſtates, opes amicitiæ non anteponant. III. Calamitatis fuga: tam enim graues: tam difficiles pleriſque videntur, calamitatum ſocietates, vt ad eas non ſit facilè inuentus qui deſcendat. Breuiter, hæc duo leuitatis pleroſq; cõuincunt, aut ſi in bonis rebus contemnunt amicos: aut ſi in malis deſerunt.

### *Quare fides requiritur in amicitia?*

Nempe firmamentum ſtabilitatis, conſtantiæq; eſt eius, quam in amicitia quærimus, Fides. Nihil enim ſtabile eſt, quod infidum eſt.

### *Cur poſtulatur ſimplicitas?*

Simplicé, & communẽ, & cõſentientem, & qui iiſdem rebus moueatur, eligi par eſt:

quæ

quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Neq; enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium & tortuoſum : neque verò qui non ijſdem rebus mouetur, & natura conſentit, fidus aut ſtabilis eſſe poteſt.

## *Qua ratione candor exigitur ab amico?*

Ne videlicet criminibus aut inferendis delectetur amicus : aut credat oblatis: quæ omnia pertinent ad conſtantiam. Eſt enim boni viri hæc duo tenere in amicitia. I. Ne quid fictum ſit, neue ſimulatum : apertè enim vel odiſſe alium, magis ingenuum eſt, quàm fronte occultare ſententiam. II. Non ſolùm ab aliquo oblatas criminationes depellere : ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum, ſemper aliquid exiſtimantem ab amico eſſe violatum.

## *Quid tandem ſuauitas præſtat in amicis?*

Suauitas ſermonum atq; morum haudquaquam mediocre condimentum eſt amicitiæ, vt abſit triſticia, & in omni re ſeueritas. Habet illa quidem grauitatem per ſe: ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatemq́; procliuior.

Quod

*Quodnam eſt ſecundum præceptum in conſtituendis amicitÿs tenendum?*

Secundum præceptum parit quorundam dubitatio: num quando amici noui, non indigni amicitia, veteribus ſint anteponendi: vt equis vetulis teneros anteponere ſolemus.

*Num verò non probanda hæc videtur ſententia?*

Minimè verò, ſed indigna homine dubitatio eſt. I. Quia non amicitiarum eſſe debent, ſicut aliarum rerum leuium ſatietates. II. Quia veterrima quæque, vt ea vina quæ vetuſtatem ferunt, eſſe debent ſuauiſſima. III. Quia, quod vulgò dicitur. multos modios ſalis ſimus edere oportet, vt amicitiæ munus expletum ſit. IIII. Quia & in equo, ſi nulla res impediat, nemo eſt, qui non eo, quo conſueuit, libentiùs vtatur, quàm intractato & nouo. Nec modò in animalibus, ſed etiam inanimatis rebus tantum conſuetudo valet, vt locis etiam ipſis montoſis delectemur & ſylueſtribus, in quibus diutiùs commorati ſumus.

Nul-

*Nullané igitur nouorum amicorum præ veteribus eſt habenda ratio?*

Nouitates amicitiarum, ſi ſpem afferunt, vt tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non ſunt illæ quidem repudiandæ: vetuſtas tamen ſuo loco conſeruanda eſt. Maxima eſt enim vis vetuſtatis & conſuetudinis.

*Quod eſt tertium præceptum?*

Omninò amicitiæ corroboratis iam, confirmatisque & ingenijs, & ætatibus iudicandæ ſunt. Nec ſi qui ineunte ætate venandi, aut pilæ ſtudioſi fuerint: eos habere neceſſarios oportet, quos tum eodem ſtudio præditos dilexerunt.

*Quæ ſunt huius præcepti rationes?*

Tres præcipuè: I. Quia iſto modo nutrices, & pædagogi iure vetuſtatis plurimum beneuolentiæ poſtularent: qui negligendi quidem non ſunt, ſed alio quodam modo colendi. II. Quia aliter amicitiæ ſtabiles permanere non poſſunt: eò quòd diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias. III. Quia nullam aliam ob cauſam boni improbis, improbi bonis amici eſſe non poſſunt: niſi quòd tanta eſt inter eos, quanta maxima poteſt eſſe, morum ſtudiorumq; diſtantia.

## DE PRAECEPTIS CONſeruandæ amicitiæ.

### CAPVT VII.

*Quot traduntur præcepta de amicitia conſeruanda?*

QVatuor: Primum, Maximum eſt in amicitia, ſuperiorem parem eſſe inferiori. Sæpe enim exiſtunt excellentiæ quædam in alterutra parte: quod cum fit, vt ſi quam præſtantiam virtutis, ingenij, fortunæ conſecuti ſint amici, impartiant eam ſuis, communicentque cum proximis: vt ſi parentibus nati ſint humilibus, ſi propinquos habeant imbecilliores, vel animo, vel fortuna: eorum augeant opes, eisque honori ſint & dignitati.

*Quænam eſt huius præcepti ratio?*

Quia fructus ingenij, & virtutis, omniſque præſtantiæ tùm maximè capitur, cùm in proximum quemque confertur.

*Quæ eſt ſecunda huiuſce partis præceptum?*

Quemadmodum ij, qui ſunt in amicitiæ coniunctioniſque neceſſitudine ſuperiores, ſe æquare cum inferioribus debent: ſic inferiores dolere non debet, ſe à ſuis amicis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate ſuperari.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0229-9

*Quinam peccant contra hoc præceptum?*

Duo ſunt hominum genera, qui contrâ peccant: Quidam enim ſunt ſuſpitioſi, & queruli: qui ſe contemni putant ab amicis ſuperioribus: qui hac opinione non modò verbis, ſed etiam opere leuandi ſunt. Quidam verò ſunt, exprobratores etiam eorum, quæ officioſè aut amicè, aut cum labore aliquo ſuo amicis præſtiterunt. Odioſum ſanè genus hominum, officia exprobrantium: quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt: non commemorare qui contulit.

*Quod tertium?*

Tantum cuique tribuendum eſt, primum, quantum ipſe efficere poſſis. Deinde etiam quantum ille, quem diligas, atque adiuues, poſſit ſuſtinere.

*Quibus rationibus nititur hoc præceptum?*

I. Quia non poſſis tu, quantumuis licet excellas, omnes tuos ad honores ampliſſimos perducere. II. Quod ſi etiam poſſis quiduis deferre ad alterum: tamen non ſtatim poteſt ille quiduis ſuſtinere.

*Quod quartum?*

Rectè & hoc præcipi poteſt in amicitijs,

Ne

Ne quis intemperata quadam beneuolentia impediat magnas vtilitates amicorum: Atque vt in omni re conſideret quiſque, & quid poſtulet ab amico, & quid patiatur à impetrari.

*Quomodo verò hoc præceptum declaratur?*

Quemadmodum, vt in fabulis eſt. Troiam. Neoptolemus glorioſè capere non potuiſſet, ſi Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lachrymis iter ſuum impedientem audire voluiſſet: Sic ſæpe incidunt magnæ res, vt diſcedendum ſit ab amicis: quas qui impedire vult, quòd deſiderium non facilè ferat: is & infirmus eſt mollisq; natura, & ob eam ipſam cauſam in amicitiam parum iuſtus.

## DE PRAECEPTIS IN diſſoluenda amicitia ſeruandis, eiusq; rei cauſis, & inprimis Adulatione fugienda.

### CAPVT VIII.

*Quænam præcepta ſunt in diſſoluenda rurſus amicitia ſeruanda?*

Nouem

NOuem: quorum alia quidem cauſas & modum oſtendunt, amicitiæ rurſus dirimendi: alia verò rationes demonſtrant, quemadmodum iſtis incommodis ſit decurrendum.

### *Quodnam eſt primum præceptum?*

Si erumpunt vitia amicorum, tùm in nos, tùm in alios, quorum tamen ad nos redundat infamia: tales amicitiæ ſunt remiſſione vſus leuandæ, & diſſuendæ magis, quàm diſcindendæ. Niſi quædam admodum intolerabilis iniuria exarſeri: vt neq; rectum, neque honeſtum ſit, neque fieri poſſit, vt non ſtatim alienatio, disiunctioque facienda ſit.

### *Quod ſecundum?*

Si morum tantum, aut ſtudiorum commutatio quædam, vt fieri ſolet, facta erit, aut in Reip. partibus diſſenſio interceſſerit: cauendum erit, ne non ſolùm amicitia depoſitæ, ſed inimicitiæ etiam ſuſceptæ videantur.

### *Quæ ſunt rationes huius præcepta?*

I. Quia nihil turpius eſt, quàm cum eo bellum gerere, qui cum familiariter vixeris. II. Quia ex eiuſmodi inimicitijs iurgia, maledicta, contumelio gignuntur, quæ tamen ſi tolerabiles erunt, ferendæ

ſunt:

ſunt:& hic honos veteri amicitiæ tribuendus eſt: vt is in culpa ſit, qui faciat, non qui patiatur iniuriam.

*Quod eſt tertium præceptum?*

Omninò omnium horum vitiorum, atq; incommodorum quæ ex diſtractione amicitiarum naſcuntur, vna cautio eſt: vt ne nimis citò diligere incipiamus, neue indignos. Digni autem ſunt amicitia, quibus in ipſis ineſt cauſa, cur diligantur.

*Quodnam quartum?*

Qui in rebus humanis nihil quicquam boni norunt, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos, tanquam pecudes, eos potiſſimùm diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos: hi pulcherrima illa & maximè naturali carent amicitia, per ſe & propter ſe expetenda.

*Quibus hi rationibus de perverſo iudicio conuincuntur?*

1. Quòd ipſi ſibi exēplo eſſe deberent, hæc vis amicitiæ qualis & quanta ſit. Ipſe enim ſe quiſque diligit, non vt aliquam à ſeipſo mercedem exigat charitatis ſuæ, ſed quòd per ſe ſibi quiſque charus eſt, quod niſi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquã reperietur. Eſt enim is amicus,

qui

qui eſt tanquam alter idem. II. Idem apparet in beſtijs, primum vt ſeipſæ diligant: deinde vt requirant alias animantes, ad quas ſe applicent eiuſdem generis. Quanto igitur magis hoc in homine fit, vt ipſe ſe diligat: alterum acquirat, cuius animum ita cum ſuo commiſceat, vt efficiat pene vnum ex duobus.

*Quod eſt quintum?*

Peruersè agunt, vel potiùs impudenter, qui amicum habere talem volunt, quales ipſi eſſe non poſſunt: quæque ipſi non tribuunt amicis, hæc ab his deſiderant. Par eſt autem, primum ipſum eſſe virum bonum: tùm alterum ſimilem ſui quærere.

*Quænam igitur probitatis notæ in vtroq; requiruntur?*

In talibus ſtabilitas amicitiæ confirmari poteſt, cùm homines beneuolentia coniuncti. I. Cupiditatibus ijs, quibus cæteri ſeruiunt, imperabunt. II. Aequitate iuſticiaque gaudebunt. III. Omnia alter pro altero ſuſcipiet. IIII. Non quicquam vnquam, niſi honeſtum & rectum, alter ab altero poſtulabit. V. Non ſolùm colent ſe inter ſe, ac diligent, ſed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.

Quod

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0234-3

*Quod ſextum?*

Pernitioſus etiam in ijs error eſt, qui exiſtimant, libidinum, peccatorumq́; omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum enim amicitia adiutrix à natura data eſt, nō vitiorum comes: vt quoniam ſolitaria non poſſe virtus ad ea, quæ ſumma ſunt, peruenire: coniuncta & ſociata cum altera perueniret.

*Quæ eſt huius præcepti ratio?*

Quoniam hæc eſt ea ſocietas, in qua omnia inſunt, quæ putant homines expetenda: honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atque iucunditas: vt hæc cum adſint, beata vita ſit, & ſine his eſſe non poſſit. Quod cum optimum maximumque ſit, ſi id volumus adipiſci, virtuti opera danda eſt: ſine qua neque amicitiam, neque vllam rem expetendam conſequi poſſumus.

*Quod ſeptimum?*

Præpoſteris vtuntur conſilijs, quotquot implicati vltrò & citrò vel vſu diuturno, vel etiam officijs, repentè in medio curſu amicitias, exorta leui offenſione, diſrumpunt. Eſt enim verius & multiplex vſu amicitiæ multæq́ue cauſæ ſuſpicionum offenſionumq́ue dantur: quas tùm euitare, tùm eleuare, tùm ferre ſapientis eſt.

### *Quibus verò rationibus vituperantur iĳ, qui propter eiuſmodi offenſiones diuellunt amicitiam?*

Nimirum quod in re tam vtili, tamq́; neceſſaria tanta laborãt incuria. I. Cùm enim de virtute, de diuitijs, de honore, cæterisq́; quæ quibuſdam admirabilia videntur, reliqui diſcrepantes foueant ſententias: de amicitia omnes ad vnum idem ſentiunt, ſine ea vitam nullam eſſe. II. Si quis eſſet ea aſperitate, quali Timon fuiſſe fertur: tamen requireret alium, apud quem virus acerbitatis ſuæ euomeret. III. Si Deus ſuppeditaret, vſpiam in ſolitudine rerum omnium abundantiam: nemo tam ferreus eſſet, cui non omnium voluptatum fructum ſolitudo auferret. IIII. Imò teſte Archita, ſi quis in cœlum aſcendiſſet, mundiqueomnem pulchritudinem perſpexiſſet: inſuauis tamen illa admiratio foret, ſi neminem, cui exponeret, haberet. V. Deniq; natura ſolitarium nihil amat, ſemperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur, quod in amiciſſimo quoque dulciſſimum eſt.

### *Quod octauum?*

Et monendi amici ſæpe ſunt, & obiurgandi: & alterum amicè faciendum eſt, nõ

aſperè: alterum patientur accipiendum non repugnanter.

*Atqui obſequium amicos, veritas odium parit, vt Terentius dixit?*

Si moleſta veritas eſt, ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ: obſequium multò eſt moleſtius: quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit. Maxima autem culpa in eo eſt, qui & veritatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur.

*Non igitur vtendum eſt erga amicum obſequio?*

Imò verò vtendum tali obſequio, in quo comitas adſit: procul remoueatur aſſentatio. Hæc enim. I. Vitiorum adiutrix eſt. II. Apud tyrannos locum habet: aliter autem cum tyranno, aliter cum amico viuitur.

*Veritatene verò nihilominus in monendo & obiurgando eſt vtendum?*

Si monitio acerbitate, obiurgatio contumelia careat: cuius tum aures clauſæ veritati ſunt, vt ab amico verũ audire nequeat: huius ſalus deſperanda eſt. I. Scitum eſt enim illud Catonis, Multò meliùs de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces videantur: illos verum ſæpe dicere, hos nunquam. II. Abſur-

dum illud eſt, quod ij, qui monentur, eam moleſtiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent carere. Peccaſſe enim ſe non anguntur: obiurgari moleſtè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere: obiurgatione gaudere.

*Quod eſt nonum præceptum?*

Sic habendum eſt, nullam in amicitijs peſtem eſſe maiorem, quàm adulationem, blanditias, aſſentationem: his enim nominibus vitium notatur leuium hominum atque fallacium, ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem.

*Quibuſnam de cauſis hoc vitium in amicitijs eſt vitandum?*

I. Quia, cùm omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa: tum amicitiæ repugnat maximè: delet enim veritatem, ſine qua nomẽ amicitiæ valere non poteſt. II. Cùm amicitiæ vis ſit in eo, vt vnus quaſi animus fiat ex pluribus: quî fieri hoc poterit, ſi ne in vno quidem quoque vnus animus erit, idemq́; ſemper: ſed varius, cõmutabilis, multiplex?

*Quomodo verò ſincerum amicum ab adulatore diſcernemus?*

Multi ſunt quidem moribus Gnathonum ſimiles: loco tamen, fortuna, fama ſuperiores.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0238-5

res: horum eſt aſſentatio moleſta, cùm ad vanitatē acceſſit autoritas. Secerni autem blandus amicus à vero, & internoſci tam poteſt, adhibita diligentia, quàm omnia fucata & ſimulata à ſinceris atq; veris. Nam ſi populus in concione imperitiſſimus tamen iudicare ſolet, quid interſit inter popularem, id eſt, aſſentatorem leuemq́; ciuem, & inter conſtantem, ſeuerum, grauem: multò magis viri prudentes adhibita diligentia eos dijudicabunt.

*Quibus verò hominibus potiſſimùm nocet aſſentatio?*

Quanquam aſſentatio per ſe pernitioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt, niſi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. Ita fit, vt is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maximè, qui ipſe ſibi aſſentetur, & ſeipſe maximè delectet.

*Atqui virtus ipſa ſe amat, ſuiq́; laudationem libenter audit?*

Omninò quidem eſt amans ſui virtus, & optimè ſe ipſa nouit, quamq; amabilis ſit intelligit. Itaque laus eius vera iuſtaq́; exiſtit. Virtute verò nō tam multi prȩditi ſunt, quàm videri volunt. Hos delectat aſſentatio: his fictus ad ipſorum voluptatem ſer-

mo cùm adhibetur, orationem illam vanam teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant. Nulla eſt igitur vera amicitia, cum alter verum audire non vult: alter ad mentiendum paratus eſt.

*Atqui paraſitorum in comœdijs aſſentatio nobis ſaceta videtur?*

Faceta ne ibi quidem videretur, niſi eſſent homines vani & milites glorioſi: qualis eſt ille Thraſo Terentianus. Magnas verò agere gratias Thais mihi? ſatis erat reſpondere, magnas, ingentes, inquit. Ita ſemper auget aſſentatio id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum.

*Quot ſunt aſſentatorum genera?*

Duo: quidam enim apertè adulantur: quos nemo non videt, niſi qui admodùm eſt excors. Quidam verò callidi ſunt & occulti, qui minùs facilè agnoſcũtur: quippe qui etiam aduerſando ſæpe aſſententur, & litigare ſe ſimulantes, blandiantur: atq; ad extremum dent manus, vinciq; ſe patiantur, vt is, qui illuſus ſit, plus viciſſe videatur. Atque hi, ne ſe inſineunt, grauioribus etiam viris & conſtantioribus ſtudioſè eſt cauendum.

FINIS.

# INDEX.

## A.

Accuſationes, & defenſiones quantum poſſint ad comparandam gloriam. 99. 100. 101. Quæ in illis obſeruanda. ib.
Actio ad naturam omnis accommodata, & vacare debet temeritate, & negligentia. 49.
Actionum decorum in genere. 72.
Admiratio præclaraq; exiſtimatio quomodo efficiatur. 94. 95.
Admonitio, & obiurgatio in amicitia neceſſaria, & qualis. 218. 219. 220.
Adoleſcentes quib. rationibus ad conſtantem gloriã queant aſcendere. 98. 99. 100.
Adoleſcentia plures mortis caſus habet, quàm ſenectus. 174. 176.
Adoleſcentiæ vitia, vires debilitant. 160.
Adoleſcentum officia 59.
Adoleſcentum temeritas. 156. 157.
Aduerſarij qui exiſtimandi. 37.
Adulatione nulla peſtis maior in amicitia. 220.
Adulatio atq; aſſentatio quibus maximè noceat. 221 222.
Adulator ab amico quomodo diſcernendus. 221.
Adulatorum duo genera. 221.
Aedificationis decorum. 71.
Aequitas ne magnæ quidẽ vtilitatis cauſa.

parum violanda. 136.137.
Aetatis cuiuſque certus naturæ curſus & proprietas. 161.
Aetatum omnium terminus, præter ſenectutem. 176.
Agricolarum labores iucundi. 170.
Agricultura inter artes optima, & iucundiſſima. 77.78.
Agriculturæ vtilitas, iucunditas, honeſtas. 169.170.171. 122.125.
Alieni appetitio, ac detractio eſt contra naturam.
Ambitio iniuriarum fit cauſa. 13.14.
Eadem Reipub. gubernatori inconueniens. 37.
Amicitiæ præſtantia. 185.187.188. Subiectum 185. Genus 186. Definitio ib. Species. ib. 187. Comparata. ib. Effecta. 188. Contraria. ib.
Amicitiæ generantes cauſæ, natura & virtus. 189.191.192.
In Amicitia inſunt, quæ putantur expetenda. 217.
Amicitia cur vtilitatis cauſæ non expetenda. 198.199.200.
Amicitia ſecuritatis cauſa, & moleſtiarum fuga non fugienda. 196.197.198.
Amicitiam priuatis commodis quidem, ſed non Reipub, & iurijurando fideique

præ-

præferendam. 129.
Amicitiæ fines falſi. 195. 196. 197. &c.
Verus finis. 201.
Amicitia vt differat à propinquitate, cæteriſque ſocietatibus. 186.
Amicitiæ conſtituendæ præcepta 206. 207. 208. 209.
Amicitia in bonis tantum. 185. Inter duos, aut paucos. 186. 187.
Amicitia virtutum adiutrix, non vitiorum comes, ac libidinis. 217.
Amicitiæ conſeruandæ præcepta. 211. 212. 213.
Amicitiæ corrumpentes cauſæ. 192.
Amicitia quatenus diſſoluenda. 213. 214. 215. 216. 217.
Amicitia nō conuertēda in inimicitiā. 214.
Amicus quid. 216.
Amici non temere faciendi, aut noui veteribus præferendi. 22. 209. 210.
Amicorum deligendorum, & conſtantium notæ. 206. 207. 216.
Amici conſtantes vt à leuibus diſcernendi. 207. 221.
Amicis quantum ſit tribuendum, & qui modus diligendi ſeruandus. 25. 26. 202. 203. 204. 205.
Ab amico quænam petenda: & amici cauſa quæ facienda. 193. 194. 195.

Amicum aliquando odiſſe, vitioſum. 204.
Ab amicis in Rempub. peccantibus recedendum. 194.
Animaduerſio, caſtigatio, pœna ſontium quomodo temperanda. 38.
Animantium omnium communia attributa naturalia. 6.
Animus diuinus, & cœleſtis. 179. Celeritas animi, & memoria. ib. Motus eius ſine principio, & fine. 180. Simplex natura. ibid. Inuiſibilis animus. ibid. Viuens & ſapiens. 181.
Animus quibus rationibus curandus. 162. 163.
Animi bona malaq́; grauiora eſſe, quàm corporis aut fortunæ. 121.
Animi opera maiora, quam corporis ac virium. 98.
Animi immortalitas probata. 179. 180. 181. 182.
Animi vis alia in Appetitu: alia in Ratione. 49.
Animorum motus quomodo regendi. 66.
Appetitus obedire Rationi debet. 49. 50. 66. 72.
Arborum plantatio iucunda. 170.
Argumentum generale librorum de officijs. 1. Speciale primi libri. 3. Secundi

libri.18. Tertij libri. 118. Dialogi de Senectute. 151. De Amicitia. 184.
Artem ſine exercitatione nihil valere. 27.
Artes, ac virtutes arma ſenectuti aptiſs. & omni vitæ fructuoſiſſima. 154.
Artes quæ ſordidæ. 76. 77. Quæ liberales. 77 Quæ mediæ ibid.
Artis adiumenta ad perficiendas vtilitates. 86.
Artium magiſtri beati, licet ſenes. 159.
Aſtutiæ tollendæ à contractibus. 135.
Auaritiæ cur nulla cauſa ſenibus. 172.
Auaritia iniuriarum cauſa. 13. Ipſius auaritiæ quæ ſint cauſæ. ibid.
Auaritia repugnat fortitudini. 31.
Auaritia teterrimum vitium in Reipub. gubernatore. 114.
Audacia contraria fortitudini. 29.
Aurum pro orichalco non emendũ. 140. 141.
Autoritas eſt apex ſenectutis. 171. Quæ res autoritatem pariant. 172.

B.

Bellum quodnam iuſtum. 18.
Belli ſuſcipiendi, adminiſtrandi, finiendi cauſæ, atq; præcepta. 17. 18. 40. 41. 42.
Bellicæ res cur inferiores vrbanis. 39.
Bellicis exercitijs acquiri gloriam. 98.
Beneficia voluntate conciliari beneuolentiam, etiamſi res ipſa non ſuppetat. 91.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0245-4

Beneficentia, ſiue benignitas quid. 19.
Quæ præcepta eius. ibi. & 20. 21. 22. 23. 24 25. 26. 27.
Beneficentiæ fons naturalis, & communis cum iuſticia. 11.
Beneficentia vel in pecunia, vel opere. 102.
Vtra earum ſit præſtantior. ibid.
Beneficentia quomodo exerceatur opere, vel priuatim. 109. vel publicè. 112. 113. 114.
Beneficium rectiùsne opulento, an inopi tribuatur. 110. 111. 112.
Beneficijs confirmari amicitiam. 191.
Beneuolentia vtilitatis conficiendæ cauſa. 89. Effectus eius. 90. Eiuſdem comparādæ modi. 91.
De Beneuolentia hominum erga nos quomodo iudicandum. 22.
Benignitatis exercendæ præcepta. 107. 108.
Bona animi maiora, quàm corporis, aut fortunæ. 121.
Bonorum corporis, & fortunæ inter ſe collatio. 116. 117.
Boni viri qui dicantur. 185.
Boni viri officium. 135.
Bonorum virorum congregatio poſt mortem. 183.

C.

Candor in amicitia requiritur. 208.

Cau-

Cauſarum genera tria. 100.
nihil Celandum in negotijs, contractibus. 128. 132. 135.
Ciuibus inter ſe quæ communia. 25.
Clementia, & placabilitate magno viro nihil dignius. 37.
Quomodo ea vtendum. ibid.
Comitas, affabilitasq; ſermonis conciliat animos hominum. 100.
Communia à natura omnia. 11.
Conſilia vera danda amicis: & data magnifacienda. 195.
Conſilio res maiores adminiſtrari, quàm viribus. 155. 156.
Contemptus vnde naſcatur. 95.
Contentio quid 67. 99. Quomodo ea in obiurgando vtendum. 69.
Contractuum præcepta. 132. 133. 134. 135.
Controuerſiæ dirimendæ modi. 17.
Conuerſatio cum bonis parit bonam famam. 99.
Conuiuium melius dictum, quàm compotationem, aut concœnationem. 167. 168.
Conuiuia quæ ſenibus iucunda. 167.
in Corporis motu atque geſtu decorum vt obſeruandum. 65.
Corporis quomodo cura ſit habenda. 162.
Crapulæ incommoda. 166.

Creditarum rerùm ſolutionem eſſe neceſſariam in ciuitate. 114.
Crudelitas eſt inimica naturæ hominũ 131.
Cultus & obſeruantia quibus declaranda. 75.
Curam ſi fugimus, virtus eſt fugienda. 196. 197.
Cynicorum inuerecundia vitanda. 75.

D.

Damnum inferre alteri, ſui commodi cauſa, eſt contra naturam humanam, contráq; leges. 122.123.124.125.
Decorum quid, & quæ eius cùm Honeſtate cognatio. 44.45.
Decorum generale: & ſpeciale. 45.46.
Defendere nocentem, religioni non habendum. 101.
Defenſio laudabilior, & glorioſior, quàm accuſatio. 101.
Defenſoris, vel patroni eſſe, veriſimile defendere. 101.
Deliratio in ſenectute vt euitanda. 163.
Depoſita ſemper ne reddenda. 143.
Deum nemini nocere: benignum pietate effici. 83.84.86.
in Dictis & factis verecundiæ ſtudendum. 63.
Diſcordiæ incommoda, 188.
Diuitibúsne, an pauperibus potiùs beneficia ſint tribuenda. 111.112.

Doctrina ſenibus iucunda. 168. 169.
Dolor an ſit malum. 146.
Domus qualis comparanda. 171.

E.

Eloquentiæ quæ commoda, aut incommoda ſint in ſenibus. 159.
Eloquentiæ vis ad facultates, & gratiam conciliandam. 109.
Eloquentiæ ſubſidium ad comparandam gloriam, 99. 100. Maxima eius vis in iudiccijs. ibid.
Emptorem non celandum, quid ei adſit vtilitatis ex re, aut incommodi. 132. 133. Non fallendum mentiendo, ſimulando, vel diſſimulando. ibid. & 134. 135.
Equine an ſerui facienda iactura. 138.
Exemplo præſtantium virorum non delinquendum. 75.
ſine Exercitatione nihil artem valere. 27.
Exercitationes modicæ ad vires conferunt. 161. 162. 163.
Exprobratores officiorum moleſti amicis. 212.

F.

Facilitas gubernatoribus Reipub. conueniens. 37.
in Factis, & dictis, verecundiæ ſtudendũ. 63.
Facultates ſingulorũ ſunt diuitiæ Reip. 134.

famæ

Famæ perpetuæ fundamentum eſt iuſti-
cia. 112.
Familiáne deſerenda in annonæ caritate. 138.
Familiaris rei amplificatio quomodo honeſta. 13.32.
Familiarem rem dilabi ſinere flagitioſum 108. contra Fatales caſus maturè obfirmandus animus. 177.
ad Fælicitatem quid voluptas conferat. 150.
Fides quid. 12.
Fides ac religio amicitiæ anteponenda. 129. 130.
Fides firmamentum amicitiæ. 207.
Fides Rempublicã maximè continet. 114.
Fides hoſti data ſeruanda. 18.147.146.
Fides vtilitatis comparandæ cauſa. 92.
Fidei conciliandæ rationes. ibid.& 93.
Fuſus, an patrem delinquentem indicare debeat. 139.140.
Fœneratorum quæſtus improbatur 76.
Formæ corporis quæ ratio habenda. 64.65.
Forti viro quibus in periculis, & quomodo verſandum. 41.42.
Forti vis afferri nequit. 147.
Fortitudo quid. 28. Quidnam eius munus. ibid. Qui Finis. ibid. Quæ vitia ei cõtraria. 29. Quæ ſpecies fortitudinis. 30.
For-

Fortitudo bellica, ſiue militaris quæ. 39. Cur ei non præſtet vrbanæ. ibid. Quæ eius officia. 40.41.
Fortitudo vrbana, vel togata quæ. 35. Quæ eius officia ſpecialia. 36. 37. 38.
Fortitudo priuata quid, & quotuplex. 30. Quid philoſophica. ibid. Quæ eius officia. 31. Quid œconomica. 32. Quid publica. 33. Quotuplex eadem. 35.
Fortitudinis opera quatenus vtilia. 143. 144. 145.
Fortitudinis exemplum in Vlyſſe. 144. Regulo. 145. 146.
in Fortuna, vel caſu ſita ſunt regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ opes &c. 55.
Fortuna numquid conferat ad ſenectutem placidam. 153. 154.
Fortunæ quid tribuendum ſit, ad commoda hominibus, vel incommoda conferenda. 85. 86.
Fortunatus inſipiens intolerabilis 200.

G.

In Geſtu, motuq́; corporis decorum quomodo obſeruandum. 65.
Gloriam ſemper cæteris commodis anteponenda. 42. 43.
Gloriæ generantes cauſæ. 94. 95.
Gloriæ ſtabilis ac conſtantis acquirendæ ratio. 97.

Gloriæ cupiditas nimia pugnat cum fortitudine. 29. 30. 31.
Gloriari de ſeipſo, deforme. 70.
Gratia pro beneficijs quomodo referenda. 22.
Grauitas in oratione, mixta modeſtiæ, admirabilis. 100.
Greſſus quæ ſeruanda moderatio. 65.

H.

Hæreditas cum conditione oblata, quatenus accipienda. 142.
Hæreditas optima, quæ relinquitur libris, virtutis gloria. 57.
Hiſtrio placere debet ſpectatoribus in quocunque actu. 175.
Homines hominibus inuicem plurimum & prodeſſe, & obeſſe ſolere. 83 84. 85.
Hominis propria attributa naturalia. 6. 7.
Hominibus vniuerſis quæ debeantur officia. 24.
Honeſtatis fontes, ac partes. 6. 7. 78.
Honeſti ſit ne aliqua cum vtili comparatio 119. 120.
Honeſtum perfectum & commune. ibid.
Honeſtū maximè propter ſe expetēdū. 127.
Honeſtorum inter ſe comparatio. 79. 80.
Honor & gloria, vtilitatis conficiendæ cauſa. 94.
Hoſpitalitas exercenda. 108.

Imbecil-

I.

Imbecillitas non propria ſenectus: & quibus rationibus corrigenda. 162. 163.
Immortalitas animi probata. 179. 180. 181. 182.
pro Imperij gloria minùs acriter, quàm vita dimicandum. 18.
ob Indigentiam non expetendas eſſe amicitias. 198. 199. 200.
Inertia ſenectuti obiecta refellitur. 155. 156.
Iniuria quibus rationibus inferatur de induſtria 12. 13. Aut perturbatione. 14. Aut defenſionis prætermiſſione. ibid.
Iniuriæ metus, fit cauſa iniuriæ. 13.
Iniuria fraudulenta, quemadmodum diſtincta à violenta. 19.
Iniuriæ vindicandæ rationes. 16. 17.
Iniuſticia, vel iniuria contraria iuſticiæ, 12. Quæ genera iniuſticiæ. ibid. Quot modis fiat. ibid.
Iniuſticiam deteriorem eſſe morte &c, 122.
Inopia non parit amicitiam. 190.
in Inopia ſumma non leuis ſenectus. 154.
Inſipiente fortunato nihil intolerabilius. 200.
Ioco quando, & quomodo vtendum. 50. Iocus duplex. ibid.
Iracundia coërcenda. 69. 70.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0253-8

Iudicis eſt verum ſequi in cauſis. 101.
Iudicis induens perſonã, amici deponit. 129.
Iudicio legitimo potiùs, quàm vi, diſceptandas eſſe controuerſias. 17.
In Iudicijs maximam vim eſſe eloquentiæ. 100.
Iudiciorum ratio in accuſatione, & defenſione. ibid. & 101.
Iuriſprudentiæ vis ad opes, & gratiam conciliandam. 109.
Iuſiurandum quid, & quare ſeruandum 145. 146. 147.
Iuſiurandum fidemque amicitijs eſſe anteferendam.
Iuſta quæ videntur, fiunt interdùm iniuſta. 15. Quomodo iſta diſcernenda. ibi.
Iuſticia quid. 10. Qui finis eius. ib. Munera eiuſdem propria. 11.
Iuſticiæ contraria Iniuſticia. 12.
Iuſticia cur præſtet prudentiæ & fortitudini: cedat autem temperantiæ. 79. 80.
Iuſtitiã ſine prudentia ad fidem valere. 93.
Iuſticiæ quanta vis ſit in omni vitæ societate, & in comparanda gloria. 95. 96.
Iuſticia erga quos exercenda. 124. 125.
Iuuentutis officia. 59.

L.

Labor honeſtus, ocio & voluptati præferendus 122.

Labores & pericula quando tranquillitati præſerenda. 144.
Laborioſa vita virorum præſtantium qua de cauſa. 181.182.
Largi homines, vel prodigi, vel liberales. 104.
Largitio qualis, & quando ea vtendum. 102.103.
Leges, vnà cum natura tuentur iuſticiã. 123.
Legibus non omnia definita. 134.
Liberales qui dicantur. 104.
Liberalitas quid. 19. Quæ eius cautiones ac regulæ. 19.20.
Liberalitatis exercendæ præcepta. 107.108.
Libidinis incommoda, ac pœnæ. 165.166.
Loci decorum. 72.73.
Loquacitas fugienda. 69.
Ludo, & ioco quando vtendum. 50. Modus ludendi retinendus. 51. Genera ludorum apta deligenda. ibid.

M.

Magiſtratus officia. 61.
Magnificentia qualis, & quando ea vtendum, & quomodo. 104.105.106.
Mala animi grauiora, quàm corporis aut fortunæ. 121.
Malorum duorum, minus eligendum. 146. Nullum maius malum turpitudine. ib.

non

non Maledicendum abſentibus. 68.
Memoria quibus minuatur. 157.
Menti inimica voluptas. 165.
Mentiri emolumenti ſui cauſa non licet viro bono. 136.
Mercatura quando, & quomodo probanda. 77.
Modeſtia quid, & quæ eius præcepta. 73.
Mores diſpares, & ſtudia diuerſa diſſociant amicitias. 210.
Mores probati parant gloriam. 98.99.
Mos, & conſuetudo pro præceptis viuendi habenda. 75.
Moriendum eſt omnibus, & incertum, quo die. 174.177.
Moriuntur ſapientes æquo animo: ſtulti iniquo. 182.
Mors quibus rationibus contemnenda. 173.174.175. 176. 177.178.
Mortem pro patria voluntariam obire. 178.
Mortis caſus plures adoleſcentibus propoſiti, quàm ſenibus. 174.
in Morte nullus ſenſus doloris, aut exiguus. 177.

N

Nationis & ciuitatis eiuſdem hominibus quæ tribuenda ſint officia. 25.
Natura prohibet iniuriam. 122.123.

Naturæ non repugnandum. 54.
ſecundum Naturam viuendum. 121.176.
Naufrago num eripienda tabula. 139.
Nauis conducta, non domini eſt, ſed nauigantium. 139.
Nummi adulterini pro bonis non exponendi. 140.
Nutrices & pœdagogi colendi. 210.

## O.

Obiurgatione amicorum quomodo vtendum. 69.
Obiurgatio in amicitia moleſtè non ferenda. 219. 220.
Obſcuri homines qua ratione glorioſi reddantur. 97. 98.
Obſequio quali erga amicos vtendum. 219. 220.
Obſeruantia quibus declaranda. 75.
Odij, ac metus quanta vis ſit ad interitum. 90.
Officium perfectũ quid. 5. Quid mediũ ibi.
Officiorum conſideratio duplex 4. Genera duo. 5. præcepta duplicia. ibi. Cauſa efficiens. 6. Materialis. ib. 7. Formalis. 7. Finalis ibid.
Officiorũ exꝓbratores moleſti amicis. 212.
Opera noſtra quomodo conciliare gratiam poſſimus. 110.
Opifices in ſordida verſantur arte. 77.

Ora-

Orationis decorum vel in contentione, vel ſermone. 66. 67. 68. 69. 70. 99.
Ordo quid, & quæ eius præcepta. 73. 74. 75.
Oſtentatione inani non ſtabilem acquiri gloriam. 97. 98. 99.

P.

Pacta quæ ſeruanda. 141. 142.
Pacta prædonibus, iurataque num ſeruanda. 147.
Pædagogi, & nutrices colendi 210.
Paraſitorũ adulatio quomodo grata. 222.
Parentum maiorumque inſtituta ſemperne imitanda. 57.
Partitio totius doctrinæ de officijs. 3.
Pater delinquens an à filio indicandus. 139 140.
Patriæ quid debeatur. 26.
pro Patria mortem qui obierint voluntariam. 178.
Pax iuſta bello præferenda. 17.
Peccatum amici cauſa commiſſum non excuſat. 194.
Pecunia ac res familiaris, quomodo quærenda, conſeruanda & augenda. 115, 116.
Peregrini, & incolæ officia. 62
Peregrinos vrbis vſu prohibere, inhumanum. 131.
Peri-

Pericula quæ, & quomodo viro forti ſubeunda. 41. 42.
Perſona cuiusq; depēdens à natura. 53. fortuna. 55. voluntate propria ibid. Quæ in ſingulis præcepta ſeruanda. 54. 55. 56. 57.
Pertinacia contraria fortitudini. 29.
Perturb. animi aduerſatur fortitudini. 31.
Petulantia & libido adoleſcentum eſſe dicitur. 163.
Philoſophi ſtudijs ſemper intenti an iuſti. 14. 15. 34.
Philoſophorum, qui de officijs ſcripſerunt, ſectæ. 2.
Pietas, vitæq́; ſanctimonia Deum benignū facit. 83. 84. 86.
Pœna ſontium quomodo temperanda. 38.
Potentię ne cauſa à iure recedendum. 137.
Prędonibus pacta iurataq́; nō ſeruāda. 147.
Principatus, & gloriæ nimis cupidi, cur pro fortibus non ſint habendi. 29. 30. 31.
Priuata bona quot modis efficiantur. 11.
Priuata ad vſum hominum conferenda. 11.
Priuatane vita præferenda publicæ: quibusq́; conceſſa ſit immunitas Reip. 34.
Priuatorum ciuium officia. 61.
Prodigi qui nominentur. 104.
Promiſſa, ac pacta quatenus ſeruanda. 15. 16. 141. 142.

Promiſſa hoſti ſeruanda. 18.
Propinquis, & cognatis quæ debeantur officia. 25.
Propolarum, & Inſtitorum quæſtus illiberatis. 77.
Prudentia quid, 8. Qui finis eius ibid.
Præcepta, vel officia eiuſdem. 9.
Prudentia ſenum eſt. 157.
R.
Rationi appetitus obedire debet. 49.50.
Reges primùm facti propter iuſticiam. 96.
Regníne cauſa ius violandum. 137.
Regno iniuſto nihil inutilius. 137.
Mala regno adiuncta ibid. & 138.
Reipub. gubernatorum officia. 35. 36.37. 38. 113. 114. 115.
Reipub. gubernandæ immunitas quibus ſit conceſſa. 34.35.
Reip. vtilitati quatenus cõſulendũ. 130.131.
Reſpublicæ per adoleſcentes perditæ: à ſenibus reſtitutæ. 156.
S.
Satietatem eſſe omnium rerum. 178.
Senectus quibus de cauſis fiat grauis alijs: 152. 153. Alijs tolerabilis, ibid. & 154.
Senectus quænam honorata, 171. 172.
Senectutis validæ exempla, 160.
Senectutis arma præſtantiſs. artes, & virtutes. 154.

Senectutis fructus in antè partorum bonorum memoria. 175.
Senectutis grauamina. 152.155.
Senectutis nullus eſt terminus. 176.
Senes ad quas res ſint vtiles. 155.156.159.
Senes immunes à grauioribus muneribus. 162.
Senes præteritorum memores: futurorum prouidi. 157.158.
Senes qui ſtulti, vel delirantes. 163. Qui moroſi, difficiles, auari. 172.
Senum officia. 60.
Sermo quid, & quæ in eo obſeruanda præcepta. 67.68.69.70.99.
Seruis quomodo vtendum. 18.
Seruine, an equi potius iactura faciẽda. 138.
Seueritas erga quos, & vbi exercenda. 90.
Seueritas modica in ſenectute probanda. 172.
Simplicitas requiritur in amicitia. 207.208
Simulatio ſemper vitioſa. 220. Amicitiæ pernitioſa. ibid.
Simulatio Vlyſſis ad effugiendam expeditionem bellicam. 144.
Societatis humanæ, ac perſonarum qui gradus, 23.24. Quæ res in ſingulis communicandæ, 24. 25. 26. Qui cui præferendus in officijs tribuendis. 26,27.

Somnus morti admodum ſimilis: 181.
Studiorum electio difficilis in adoleſcentia. 56.
Studiorum genera, quibus ſolida comparatur gloria. 98.99.100.
Studium, & cura, quibus rebus impendenda. 9.
Suauitas eſt condimentum amicitiæ. 208.
Suſpiciones ex amicitia tollendæ. 212.

T.

Temeritas eſt florentis ætatis. 157.
Temperãtia quid. 43. Quod eius proprium munus. 44. Qui finis. ibid. Quæ officia generalia. 48. 49. 50. 51. Quæ ſpecialia 52. 53. &c.
Temperantia cur præſtet iuſticiæ. 80.
Temperantia vires conſeruat. 161. 162.
Temporis decorum. 72. 73.
Timiditas contraria fortitudini. 29.
Trãquillitas vitæ quatenus expetẽda. 144.
Tributa quatenus à ciuibus exigenda. 113. 114.
Turpitudo ſummum malum. 146.
vbi Turpitudo ſit, ibi vtilitatem nullam eſſe exiſtimandam. 127.
Tyrannus qui. 126.
Tyrannum ſpoliare, aut necare non iniuſtum eſſe. 120. 121. 125.

Tyrannorum vita ſemper in ſolicitudine & metu. 200.
Tyrannorum interitus crudelis. 90.
V.
Valetudo quibus rationib. curãda. 115. 162.
Vẽditionis, & ẽptionis regulæ. 133. 134. 135.
Venereis rebus ſe liberatum gaudet Sophocles. 168.
Venuſtas muliebris eſt: dignitas virilis. 64.
Verecũdia in primis ornat adoleſcẽtiã. 59.
Verecundiæ officium. 47.
Verecundiæ in factis, dictis, & corporis motu ſtudendum. 63. 65.
Veritas amicis moleſta ne ſit. 219. 220.
Verſutus & callidus fit inuiſus. 93.
Veſtitus moderatio. 65.
Vicinis quæ officia communicanda. 27.
Victoria parta quomodo vtendum. 18. 41.
Vinũ fugiẽs pro bono nõ vendendum. 140.
Virtutes, & artes arma ſenectuti aptiſſima & omni vitæ fructuoſiſſima. 154.
Virtute recteque factis quod efficitur, ſempiternum. 175.
Virtutis laus vera, iuſtaque. 221. 222.
Virtutis fons, & origo. 5.
Virtutis primariæ partes quatuor. 7.
Virtutis nomine ignoti, & hoſtes diliguntur. 186.

Virtutis ſubſidium ad perficiendas vtilitates 86. Eiuſdemque ad triplicia ſubiectaa reuocatio. 87.
Virtutum quatuor cardinalium inter ſe comparatio. 79. 80.
Virtutum inter ſe cognatio. 93.
Vires corporis in quibus requirantur. 158. 159. 160. 161.
Vires ingenij, corporis viribus præferendæ, 160. 161.
Virium imbecillitas non propria ſenectutis: & quomodo corrigenda. 162. 163.
Virium defectio adoleſcentiæ vitijs efficitur. 160.
Viribus non adminiſtrari res maiores quàm conſilio. 155. 156.
Vis inferri viro forti nequit. 147.
Vita ſolitaria, & ſine amicitia nulla. 218.
Vitæ actionumque æquabilitas & conſtantia conſeruanda, 54. 58.
Vitæ huius labores, ærumnæ, ſatietas. 182
Vitæ tempus breue, ſatis eſſe longum, ad bene viuendum. 175.
Vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas. 176.
de Vitæ ſtatione iniuſſu Dei non recedendum. 177.
è Vita diſcedimus tanquā ex hoſpitio. 182.

in Vita nihil diuturnũ aut certum. 174. 175.
in Vitæ inſtituto eligendo quæ perpendenda. 56. 57. 58.
in Vitę ſtatu mutãdo quid ſeruãdum. 54. 58.
Voluptas bona, vel mala. 164.
Voluptas corporis quibus de cauſis vitioſa. 148. 149. 150. 164. 165. 166. 190. 191.
Voluptas corporis, eſca malorum, labes animi, virtutis adverſaria, ignominię procreatrix. 165. 166.
Voluptas non corporis, ſed animi quærenda. 51.
in corporis Voluptate qui modus ſeruandus. 52.
Voluptas ſenum quadruplex. 167. 168. 169. 170. 171.
in Voluptate ſimul, & honeſtate, ſummum bonum non poſſe conſiſtere 150. Quid ad felicitatem ea conferat. ibid.
Vox qualis decora 67.
Vtile quid, & an diuerſum ab honeſto. 82.
Vtile nullum iudicandum ciui eſſe, quod Reipub. ſit inutile. 145.
Vtilium rerum diuiſio, ac genera. 82. 83.
Vtilitas ſit ne cum honeſtate comparanda, aut illi præferenda. 119. 120. 137. 147.
Vtilitas comparata cum ſortitudine. 143. 144. 145. Cum temperantia. 148. 149.

Vtilitas in amicitia, ſed non eius cauſa. 190. 191.
Vtilitatem propriam, quæ iniuria careat. non negligendam. 128. 133. 134. 135.
Vtilitatem nullam putandam, vbi turpitudo. 127. 135.
Vtilitates rerum omnes hominum opera confici: vt & incommoda. 84. 85.
Vtilitates amicorũ non impediendæ. 213.
Vtilitati ſuæ ſeruire, cum alterius detriméto, eſſe contra naturam, legesq́ue diuinas, & humanas. 122. 123. 124. 125. 135.
Vtilitatis comparandæ modi, à perſonis vel rebus. 88. 89.
Vtilitatis extremæ cauſæ quatuor. 83. Intermediæ, vel adiuuantes tres. 86.
Vtilitatis gratia cur non expetenda amicitia. 198. 199. 200. 215.
Vtilitatis ne maximæ quidem gratia violanda æquitas. 136. 137.
Vtilitatum inter ſe collatio. 116. 117.

FINIS.

-2- 9417

# LOCORVM COMMVNIVM, COMPARANDAE RERVM, ET Exemplorum copiæ, accômmodatorum, genera.

IIII.

*AD VSVM STVDIOSORVM, in Argentinenſi Academia, collecta*

*à*

*M. IOANNE BENTZIO.*

ARGENTORATI,
Excudebat Antonius Bertramus.
M. D. CI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-748673-p0267-6

*ILLVSTRIBVS ET*
GENEROSIS DOMINIS, DOM.
*Ioachimo Andreæ Schlick comiti à Paſſaun: & Dom. Ioan. Iacobo comiti ab Oſtrorog, &c. Generoſis etiam Dominis, Hildebrando, & Helmharto Iorgeris in Tolet, L. Baronibus in Creuſpach, &c. Dominis ſuis clementiſſ.*
*S. P. D.*

COnſtans eſt hæc, Illuſtres, & Generoſi Domini comites, ac Barones, cæteriq́; adoleſcentes optimi atque ornatiſſ. conſtans eſt, inquam, & à doctis multis multum iactata ſententia: eum, qui ſingulari cum fructu velit in ſtudijs liberalibus verſari, & inſignem ex his comparare ſcientiam; Locos quoſdam habere communes, in eoſq́; tanquam Indices referre debere ea, quæ ſcitu di-

gna ſe in autorib. probatis obtulerint. Cùm enim tres potiſsimū cauſæ ſint, propter quas & in ſcholis explicentur, & euoluantur domi ſcriptores boni: Rerum cognitio , ad informandam mentem ſapientia; Verborum elegantia, ad linguam inſtruendam; & Exemplorum artis ad imitandum neceſſaria obſeruatio : cumq́ue nullius hominis tam felix memoria ſit, omnia vt comprehendere, quæ aut audierit, aut legerit; omniū vt meminiſſe poſsit, quando velit: operæprecium facturus eſt vtique, qui huiuſmodi Locos ita tempeſtiuè compararit; vt ad dicendum, ſcribendumue & eruditas de quibuslibet rebus ſententias, & modos loquendi probatos, & orationis in his exempla reperiat laudabilia.

Solent hoc mercatores facere; & eorum quæ coemerint, vendiderint, contraxerint , ſuæ vel minima nunquam credere memoriæ : ſed tabulas ad manus,

nus, aut diaria habere; in ijsque conſignare obiter primùm ac tumultuariè, quemadmodum vnum quodq; actum contractumque fuerit: poſtea verò in maiores transſcribere codices, ſingula certa ſerie: vt, quoties opus eſt, intelligant, quantum quisq; debeat, lucri quid acceſſerit, pecuniola ne qua fortè pereat. Cur igitur & nos, qui in optimorum ſtudiorum negotiamur emptorijs, cur hoc non facimus? atque eò magis facimus, quò precioſiores merces copioſioresq; tractamus? Quàm multæ per tot Academiæ noſtræ claſſes audiuntur elegantes loquendi formulæ? quot egregiæ paſsim occurrunt ſententiæ? quæ viuendi præcepta ſalutaria, exempla illuſtria, inſignes hiſtoriæ, ſapienter excogitatæ fabulæ ſeſe offerũt? quæ, ſi non fluxæ labilique committerentur memoriæ: ſed in Ephemerides etiam, Locorumque communium transferrentur volumina: cùm lucri,

quod quotidie faceremus in literis, acceſsio nobis iucunda ſemper verſaretur ob oculos; tùm comparatarum opum certus cuſtos exiſteret; tùm etiam ad artem differendi dicendiq́; faciliùs percipiendam exempla idonea; ad ſcribendum denique dicendumq́; prompta orationis copia ſuppeteret.

Et hanc quidem rationem à peritiſſimis olim dicendi artificibus obſeruatam fuiſſe; ſatis abũdè ipſorum monimenta teſtantur. Iſocratis quidem admonitionem ipſi audiuiſtis: Quòd, vt apes omnibus è floſculis carpant quæ ſunt optima; ſic eruditionis comparandæ ſtudioſos oporteat, vndiq; à ſapientibus atq; Poetis, quæ vtilia ſunt, colligere. eiusq́; rei ſpecimen ipſius in orationibus egregium, vtiq; cernitis. Quantam autem Demoſthenes Exordiorum ad omnis generis orationes accommodandorum copiam reliquit? quàm eruditè Cicero de ſtudijs libe-

ralibus

